



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. I. Vtrum per pœnitentiam omnia peccata remoueantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS VI.

28. *Vtrum pœnitentia sit prima virtutum?*

Varius sensus articuli.

NOTANDVM hanc quæstionem de multiplici prioritatis genere posse intelligi: primò enim quæritur potest num pœnitentia sit prima virtutum prioritare temporis, secundo num prioritare naturæ, tertio num secundum ordinem dignitatis, &c.

Non est prima nec tempore, nec naturâ, nec dignitate.

Respondetur 1. nullo ex his modis pœnitentiam esse primam virtutum. quod patet, quia virtutes Theologicæ sunt digniores moralibus, ergo pœnitentia non potest dici prima ordine dignitatis, cum sit virtus moralis. deinde eadem prius naturâ infunduntur, quàm morales, cum virtutes morales consequantur charitatem, igitur neque secundum ordinem naturæ pœnitentia potest dici prima, tertio hinc patet nec esse primam ordine temporis, cum virtutes saltem morales non infundantur ante charitatem.

29.

Nec actus pœnitentiæ est primus tempore.

Respondetur 2. neque ipsum actum pœnitentiæ esse primum ordine temporis. 1. quia saltem præcedit actus fidei, & spei. 2. quia si per actum pœnitentiæ intelligamus perfectam contritionem, actus charitatis, quatenus respicit Deum natus est præcedere, cum connaturaliter prius feramur in Deum, eum super omnia diligendo, quàm in peccatum, illud detestando & dolendo de illo, ut summè repugnanti diuinæ bonitati: si verò per actum pœnitentiæ intelligamus detestationem, vel dolorem peccati, ut est Dei offensâ, vel voluntatem huiusmodi offensam compensandi, non est etiam primus ordine temporis, tum quia inter illum actum, & actus aliarum virtutum non est talis subordinatio, ut alij necessariò debeant eum supponere, tum quia talis non elicitur ab eo, qui prius non peccauit, à quo tamen varij aliarum virtutum actus solent elici. Videtur tamen S. Th. tum in corpore, tum responsione ad 1. iudicare actum pœnitentiæ esse primum tempore inter actus virtutum moralium, sed ut hoc interdum verum esse possit, nullo tamen modo est necessarium.

QVÆSTIO LXXXVI.

De effectu pœnitentiæ quoad mortalium peccatorum remissionem.

ARTICVLVS I.

Vtrum per pœnitentiam omnia peccata remoueantur?

Resp. affir.

RESPONDET omne peccatum in hac vitâ per pœnitentiam veram deleri posse, ubi

Notandum S. Tho. non solum vel se perfectam pœnitentiam posse delere peccata, sed etiam omnem peccatorem, scilicet vrentem ratione posse in hac vitâ pœnitere, & ita posse peccatorum remissionem acquirere, circa præsentem articulum quædam dubia sunt examinanda, itaque

DVBIUM I.

Vtrum peccator vtens ratione possit in hac vitâ pœnitentiam agere de peccatis?

HENRICVS quodlibeto 8. q. 5. circa finem, Abulensis in Exodus cap. 4. q. 12. & quidam alij censent peccatores interdum ad eum peccatorum cumulum peruenire, ut non possint de peccatis sufficientem pœnitentiam agere, per quam exeant à statu peccati, Deo sufficientem ad id gratiam negante.

S. Tho. hic in corpore asserit viatorem posse de quolibet peccato pœnitentiam agere, & censet esse erroneum dicere, esse aliquod peccatum de quo quis in hac vitâ pœnitere non possit, quâ loquendi formâ non solum vult posse concipi pœnitentiam de quouis peccato si adsit Dei auxilium, sed etiam ipsum auxilium ex parte Dei paratum esse ad veram pœnitentiam concipiendam de quatuorlibet grauibus peccatis. S. Tho. sequuntur Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tractatu quinto cap. 3. conclusione 8. Scotus dist. 15. q. 1. art. 1. & plures alij, tam antiqui, quàm recentiores.

Quæ sententia est omnino verior, & conformior Scripturæ dicenti Deum velle omnes homines saluos fieri 1. ad Timoth. 2. quibus verbis significat Apostolus Deum syacere velle hominum salutem, igitur etiam peccatorum quantumvis enormia peccata commiserint.

Confir. ex cap. 33. Ezech. Nolq. mortem impij, sed ut conuertatur &c. idem habet capite 18. dicens: Nunquid voluntatis meæ est mors impij?

Probat 1. ex Prospero responsione ad objectionem 15. Vincentianam dicente: Nemini Deus correctionis admittit viam, neque quemquam boni possititate spoliât.

Probat 2. quâmdiu peccator etiam grauissimis peccatis obnoxius agit in hac vitâ, obligatur præcepto pœnitentiæ, ergo quâmdiu ratione vitur, eam potest agere.

Confir. vnusquisque vtens ratione nondum baptizatus tenetur baptismum recipere, & proinde etiam quilibet peccator nondum baptizatus, qui tenetur proportionatam dispositionem adferre, hæc autem in peccatore est dolor &c. de peccatis; qui verò incidit in peccatum post baptismum tenetur pœnitentiæ Sacramentum recipere, à quo præcepto nullus propter grauia sua scelera liberatur.

Cum verò homo non possit sine Dei gratiâ pœnitere vtiliter ad salutem, ex dictis potest elici, quantum est ex parte Dei nulli peccatori deesse auxilium sufficiens ad concipiendam veram peccatorum pœnitentiam, seu Deum, quantum est ex sua parte, paratum cuilibet etiam maximo peccatori auxilium sufficiens concedere ad concipiendam pœnitentiam de peccatis.

DVBIUM II.

Vtrum pœnitentia sufficiat ad delerionem peccati?

VARIJ fuerunt hac de re hæreticorum errores. quidam enim existimant pœnitentiam non

non sufficere ad delenda peccata mortalia, alij censuerunt non sufficere ad ea sapius delenda, denique alij negarunt quendam grauissima peccata per penitentiam posse deleri, quod sensisse Nouatianos refert S. Ambros. lib. 1. de penitentia, capite nono & alij. Verum hæc omnia sunt erronea vt S. Tho. hic in corpore. vnde

Dico nullum est genus peccati quantumcumque graue & multiplicatum, quod per penitentiam in hac vita deleri non possit. est de fide. patet ex scriptura Isaia 1. Lauamini mundi estote &c. si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabitur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt, Ierem. 18. si penitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam, agam & ego penitentiam super malo quod cogitavi vt facerem ei. Ezechielis 18. Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis, que operatus est &c. omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor &c. nunquid voluntatis mea est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Ex his & similibus locis patet in genere hominem posse in hac vita per veram penitentiam consequi remissionem suorum peccatorum, & quidem quantumcumque grauium & quantumcumque multiplicatorum, cum in his sententijs venia non restringatur ad certum genus peccati vel numerum, neque ad vnum vel alterum penitentiae actum.

Confirm. Deus non solum inuitat peccatores ad penitentiam semel agendam, neque ad agendam solum de certo genere peccati, sed inuitat, & vrget ad agendam penitentiam de omnibus peccatis quantumcumque magnis, vrget etiam vt quoties homo in peccatum labitur, de illo doleat, ergo signum est ex diuina promissione penitentiam delere peccata quantumcumque multa & graua.

Confirm. secunda, tertia &c. penitentia non minus est bona, quam prima, & proinde ex sua parte non minus est sufficiens, nec minus decet Deum propter eam condonare peccatum, quam propter primam.

Probatur etiam propositio ex dictis de baptismo: constat de fide quantumcumque multa, & graua peccata deleri per baptismum, similiter constat ex Concil. Lateran. & refertur cap. firmiter s. vna vero, de summa Trinitate, omnia peccata post baptismum commissa posse per veram penitentiam deleri, quod etiam patet ex Concilio Trid. sess. 14. Confirm. peccator baptizatus obligatur non tantum vnum peccatum, vel semel subijcere clauibus, sed omnia, & quotiescumque post receptum penitentiae Sacramentum in nouum peccatum incidit, igitur potest per veram penitentiam omnium peccatorum veniam consequi, idque decet diuinam clementiam, quæ alioqui videretur vinci ab homine, si eo operante quantum in se est cum diuino auxilio ad peccati destructionem, Deus illud nollet delere.

Contra hanc veritatem potest obijci primò, quòd 1. Regum 2. Heli dicat filiis suis: Si peccauerit vir in vnum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? quæ loquendi forma videtur significare esse quædam peccata, quorum homo etiam in hac vita nequeat remissionem obtinere.

Resp. negando id significare: solum enim vult docere peccatum filiorum esse grande, & esse longè grauius Deum offendere, quam hominem, atque adeo non esse ita facile intercedere pro eo, qui

Deum offendit, loquitur verò more humano, secundum quem non est ita facile intercedere apud principem offensum, sicut apud patrem, & priuatum.

Obijcitur 2. quòd 2. Machab. 9. dicatur de Antiocho: Orabat autem hic sceleratus Dominum, à quo non esset misericordiam consecutus.

Resp. Antiochum non habuisse veram penitentiam, vt S. Thom. hic ad primum, & proinde mirum non esse, si remissionem peccati non sit consecutus: non enim verè dolebat de ipsa offensa, nec sincere ad cor redibat, sed solum dolebat aliquo modo de peccato propter infirmitatem corporalem quam patiebatur, de cætero, non volens sincere ab ipso peccato recedere.

Obijcitur 3. quòd Christus Matth. 12. dicat: Omne peccatum remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemiae non remittetur: & quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro. quibus verbis videtur designare esse certum aliquod genus blasphemiae & peccati, cuius homo nunquam sit veniam consecutus.

Resp. negando id designari, si homo praeventus Dei gratia veram de tali peccato agat penitentiam, & dico Christum solum velle peccatum, de quo ibi agitur, esse specialiter venia indignum, & raro curari si spectemus eius conditionem, & modum, quo committitur, pro quo

Notandum, licet omne peccatum mortale ex sua generali ratione, & conditione sit venia indignum: aliqua tamen esse, quæ ex ratione sua particulari, & ex modo particulari quo committuntur, peculiari quadam ratione veniam non mereantur, & difficulter curentur, quale est illud, quo aliquis peccat ex malitia contra agnitam veritatem: qui enim ita peccat, difficulter adduci potest, vt resipiscat, & remedio penitentiae vtatur, & curetur. similiter in tali peccato non potest admitti vlla excusatio, atque adeo peculiari quadam ratione est venia indignum. id solum vult Christus redarguens Phariseos, qui aperta eius miracula & opera Spiritus sancti demoni tribuebant, quasi dicat: miracula quæ ego facio, & quæ clarè constat esse opera Spiritus sancti, contra agnitam veritatem demoni tribuitis, dicentes me in Beelzebub principe demoniorum eijcere demonia. hæc spiritus blasphemiae & verbum in Spiritum Sanctum, quantum ex se est, omnem penitentiam, & curationem excludit, estque venia indigna, atque adeo homo non nisi difficillimè eius consequitur remissionem. vt sic ostendat enormitatem peccati Phariseorum, quo eius operibus detrahebant.

Obijcitur 4. Apostolus ad Hebr. 6. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustarunt etiam donum ecclesie & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque scelerum venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad penitentiam, rursus cruciungentes sibi metipsis filium Dei & osentui habentes; Et cap. 10. voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, quibus locis videtur indicari nullum peccatum commissum post baptismum remitti: sed id apertam hæresim continere patet tum aliunde, tum ex Sacramento penitentiae, in quo constat fieri peccatorum remissionem. omnis quibusdam responsionibus minus probabilibus duæ sunt probabiles responsiones sententiae Apostoli

Obiectio 2.

Resp.

Obiectio 3.

Resp.

6.

Quædam peccata ex sua speciali ratione sunt indigna venia.

7.

Obiectio 4. ex Hebr. 6.

Hebr. 10.

Resp. duplex ad loc. cit. Prior.

stoli cap. 6. prior est Apostolum velle eos, qui post baptismum peccaverunt non posse absolute amplius renouari ad penitentiam, quae ducat ad baptismum, seu non posse per secundum baptismum consequi peccatorum remissionem; quia scilicet baptismus repeti non potest. quam explicationem sequuntur plures Patres, quos citat & sequitur Suarez tomo 4. q. 86. art. 1. dist. 8. sect. 1. num. 9. Estius in locum citatum ad Hebraeos 6. Bellarminus lib. 2. de penitentia cap. 16. §. ad secundum locum: hoc sensu: fieri nequit, ut qui post susceptum baptismum (qui dicitur Sacramentum illuminationis, prolapsus est in peccatum, renouetur per iteratam baptismi susceptionem rursus crucifigens sibi metipsum filium Dei (quia scilicet per baptismum commortimur Christo) quia Christus non est secundo crucifixus. iuxta hanc sententiam Apostolus non negat peccata quantumvis multa, & grauius posse per veram penitentiam deleri, sed peccata post baptismum commissam posse per secundam susceptionem baptismi condonari. Aliorum solutio est, quod Apostolus per impossibile non intelligat omnimodam impossibilitatem, sed maximam difficultatem: hoc sensu: qui post susceptum baptismum à fide recedunt per apostasiam, difficillimè possunt per penitentiam à peccato resurgere. ita ut sententia Apostoli non intelligatur de quolibet peccati genere, sed de apostasia à fide semel recepta, à qua apostasia homo non nisi difficillimè resurgit. hunc sensum amplectitur Anselmus in caput 6. ad Hebr. Vasquez in paraphrasi eiusdem loci & 1. parte q. 23. dist. 97. cap. 1. num. 7. Cornelius in eundem locum Pauli. utraque solutio satisfacit argumento. posterior autem videtur conformior textui, pro quo

Notandum aliquos Hebraeos ad fidem conuersos post baptismum susceptum videri eandem fidem deseruisse & rediisse ad Iudaismum, quos redarguit Apostolus docens eos, qui post agnitam, & susceptam fidei gratiam ab ea per apostasiam recesserint, rursus sibi Christum crucifigentes, & ostentui habentes, non nisi difficillimè renouari ad penitentiam, ubi non videtur agere de sola penitentia baptismum precedente, sed in genere.

Confirm. quia, de quibus dixerat: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad penitentiam*, dicit: *confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & videri iura salutis, tamen si ita loquimur*. quibus verbis ostendit se non omnino desperare de eo, quod dixerat impossibile.

Consimili modo dicendum ad locum cap. 10. Apostolum velle Iudaeis voluntarie recedentibus à fide suscepta per apostasiam, propter prauam eorum dispositionem non relinqui hostiam, quā possint à peccato liberari: quia non est alius Messias venturus, qui peccatum possit expiare, neque ad hoc possunt prodesse sacrificia legis Moisaica, neque per Christum possunt iustificari, cum ab eius fide recedant. posita ergo eā praua illorum dispositione nullum eis superest ad peccati deletionem remedium, quamquam in re ipsa supersit.

Obijciunt 5. idem Apostolus ad Hebr. 12. dicens de Esau: *Non enim inuenit penitentiam locum, quam cum lachrymis inquisisset eam*. S. Thom. praesenti art. ad 1. respondet Esau non egisse veram penitentiam, unde tacite concludit non esse mirum, si peccati remissionem non fuerit consecutus: sed ex textu facile potest patere nec in eo agi de penitentia in ordine ad obtinendam remissionem peccati, nec agi de penitentia ipsius Esau, sed

Isaaci: hoc sensu: quamuis Esau cum fletu valido patrem suum rogaret, ut ei tanquam primogenito benediceret: non potuit tamen eum flectere, ut illum facti peniteret, & benedictionem fratriminori, scilicet Iacob impensam retractaret.

Obijciunt 6. 1. Ioannis 5. S. Ioannes dicit: *Est Obiectio peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis, quia loquendi formā videtur designari esse quoddam genus peccati in hac vitā irremissibile, pro quo orare non debeamus*.

Respondeo negando id designari. Primò, quia aliqui existimant peccatum ad mortem, de quo Quomodo Apostolus, esse peccatum finalis impenitentiae, explicationem sed eā sententiā omittit, quae à varijs reprobat, sequitur plures per peccatum ad mortem intelligunt atrociam quādam crimina: quae tamen non velint Apostolus esse in hac vitā irremissibilia, sed solum dicat se non audere promittere quoddam orans pro eo, qui peccat ad mortem, sit facile exaudiendus: cum enim antea dixisset: *Et hac est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos*, quasi id explicans addit: *qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vitā peccanti non ad mortem, est peccatum ad mortem*, quasi dicat: quod dixi nec posse petere cum fiducia, quod exaudierunt, non ausim asserere de orante pro eo, qui peccat peccato ad mortem, id est atroci, cui obstinate inhaeret, quia talis non facile conuerteretur cooperando diuinae gratiae vide Vasquez disp. cit. cap. 1. num. 3. & 4. f. 4.

D V B I V M III.

Quis actus penitentiae sufficiat ad deletionem peccati mortalis?

CV ex art. 2. superioris q. constat nos posse ex vario motiuo, & proinde ex variā virtute peccatum detestari, & de eo dolere, praesenti dubio quaeritur, sub quo motiuo debeamus dolere ad remissionem obtinendam? quaestio autem intelligitur de remissione extra Sacramentum: nam partim ex dictis de baptismo, partim ex communiori sententia Doctorum constat longè inferiorem actum penitentiae sufficere ad obtinendam remissionem in Sacramento, quam extra illud.

Dico 1. attritio non sufficit, ut peccatum extra Sacramentum deleatur.

Probat 1. ex Trid. sess. 14. cap. 4. docente attritione esse donum & Spiritus Sancti impulsu non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo penitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat, & dicente sine penitentiae Sacramento per se nequire perducere peccatorem ad iustificationem.

Dices, Concilium eam doctrinam intelligit de quibusdam attritionibus, quas ibi enumerat.

Resp. negando solum de ijs intelligi. patet ex eo quod ante verba citata dicat: *Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehemina & pauidum metu communiter concipitur*. quā particulā, communiter, patet Concilium non restringere doctrinam ad species enumeratas, sed eas solum recensere, eod quod homo ex illis communius moueatur ad remissionem peccatorum per Sacramentum acquirendam.

Probat 2. si quae attritio videretur proximè apta ad peccati deletionem, maximè videretur attritio,

Suarez.
Estius.
Bellarm.

Posterior
resp.

Anselm.
Vasq.
Cornel.
Posterior
videtur conformior
textui.

8.

Resp. ad
locum.
Hebr. 10.

10.

Obijciunt 5.

S. Th. resp.

Alia proponitur.

tricio, quæ oritur ex motu spei, quæ post charitatem est virtus præstantissima; hæc autem non sufficit, ut insinuat Trid. sess. 6. cap. 6. ubi indicat hunc actum posse cum peccato consistere.

Confirm. habitus spei potest remanere in peccatore, ergo & actus, si enim actus cum peccato non posset remanere, neque remaneret habitus.

Prob. 3. si attritio sufficeret ad peccati remissionem extra Sacramentum recipiendam, aliquis sciens se solum attritum posset absque peccato recipere Sacramenta viutorum, quod est contra communem Doctorum sensum, posset similiter minister sacramentorum ea licite ministrare ex officio quamvis sciret se solum attritum, quod est inauditum.

In hac conclusione conveniunt Doctores contra Caietanum qui q. 84. huius partis art. 1. §. 3. *si modum*, censet tantam posse esse attritionem, ut extra Sacramentum sufficiat ad peccatorum remissionem; ut autem patet ex eius discursu attritionem intelligit distinctam à contritione.

Est tamen aliqua difficultas de actu penitentiae quam supra posuimus specialem virtutem à cæteris distinctam & accedentem ad iustitiam commutativam, per quem actum dolemus de peccato, ut est iniuria Dei, quâ honor illius læditur, aliqui existimant talem actum delere peccatum, sed contrarium ex communi Doctorum sententia potest colligi, quatenus hunc effectum soli contritioni vel dilectioni Dei super omnia tribuunt, itaque

Dico 2. talis actus penitentiae non sufficit ad deletionem peccati mortalis extra Sacramentum. pro huius conclusionis probatione

Suppono actum penitentiae descriptum non esse contritionem, cum toto motu distinguatur, & contritio perfecta (de qua hic est sermo) sit actus charitatis, cuius non est actus penitentiae descriptus, ut patet ex dictis. hoc posito

Probatur conclusio ex communi tacito consensu doctorum, qui hanc vim soli contritioni tribuunt; ut aperte indicat Suarez tom. 3. de gratia libro 7. cap. 3. numero 10. & tom. 4. tertiae partis disputatione 5. sect. 1. iuncta sect. 2. nu. 15.

2. Talis actus est, & dici debet attritio, ergo ex se non sufficit ad iustificationem extra Sacramentum comparandam. consequentia patet ex superiori conclusione. antecedens verò probatur ex Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi omnem honestum dolorem efficacem de peccatis statuit esse contritionem, vel attritionem. nam ex eo capite colligitur actum penitentiae adequatè dividi in contritionem, & attritionem; atqui, ut ostensum est, talis actus non est contritio, ergo est attritio.

Confirm. talis actus non avertit hominem modo perfectissimo à peccato, neque ob motuum præstantissimum, ergo nec est contritio, nec potest dici contritionem, vel amorem Dei super omnia continere.

3. Nullus actus, tendens in Deum, per modum prosecutionis iustificat excepto amore Dei super omnia, per quem scilicet diligimus Deum super omnia, quia id postulat summa eius bonitas, ergo nullus actus se habens per modum fugæ respectu peccati, sufficiens concurrere ad eiusdem peccati deletionem excepto actu perfectæ contritionis, per quem avertimur à peccato propter motuum excellentissimum.

Confirm. non videtur probabile, quòd peccator non aduersus statum peccati iustificetur, si per modum prosecutionis, quantum in se est, velit ius Dei illatum permanere, ergo neque videtur pro-

babile quòd iustificabitur peccator dolens de peccato quia ius Dei lædit. Denique ex contraria sententia sequitur peccatorem non contritum, per se loquendo, non peccare recipiendo sacramenta viutorum, vel ex officio Sacramenta ministrando, si videlicet eliciat actum penitentiae specialis virtutis, ex his

Dico 3. sola contritio perfecta (adde & dilectio Dei super omnia iuxta infra dicenda) sufficit ad acquirendam remissionem peccati extra Sacramenta, sequitur ex dictis: nam superiori dubio ostensum est peccatum posse deleri per penitentiam, non autem per aliam, ut ex iam dictis patet, ergo &c.

Dices S. Thom. hic tribuit penitentiae posse removere peccata; videtur autem agere de actu penitentiae, quam præcedenti questione docuit esse specialem virtutem, cum in sequentibus agat de effectibus virtutis, de qua egerat questione 85.

Resp. negando minorem, eiusque probationem, & dico quòd licet in questione 85. pressè disputando de virtute penitentiae ostenderit quomodo potuerit constitui virtus à reliquis distincta; postmodum tamen præcipue agat de penitentia perfecta, quam vocamus contritionem, & quantum ad præsentem difficultatem spectat, patet ex q. 89. art. 1. ad 2. ubi cum docuisset in corpore per penitentiam remitti peccata ut dictum est, dicit: *Actus penitentis se habet ut ultima dispositio ad gratiam*, scilicet contritio.

De quâ penitentia perfecta seu contritione intelligenda est scriptura quando remissionem peccatorum tribuit penitentiae. De hac etiam intelligendi sunt Patres cum agant de eâ, quæ continet perfectam ad Deum conversionem.

Scripturæ & patres, qui videntur tribuere elemosynæ vim remittendi peccata; nolunt eam tantquam ultimam dispositionem sufficere ad remissionem peccati mortalis, sed promereri de congruo varia gratiæ auxilia, quibus homo ad penitentiam disponatur, & alijs modis iurare, de quibus dicendum ex professo 2. q. 32.

DUBIVM IV.

An peccator sciens contritionem perfectam semper consequatur remissionem peccati mortalis, etiam ante Sacramentum reipsâ susceptum?

Dico perfectam, quia ex Trid. sess. 14. cap. 4. constat duplicem esse contritionem: aliam perfectam, quæ nomen contritionis retinet, & fertur in peccatum motu fugæ, quia diuinæ bonitati summè repugnat: aliam imperfectam, quæ attritio vocatur tum à concilio, loco cit. cum passim à Doctoribus, & fertur in peccatum sub motivo aliquo inferiori. Attritionem non sufficere ad deletionem peccati mortalis extra Sacramentum constans est Doctorum sententia, & patet ex dictis dubio præcedenti. questio ergo intelligitur de contritione perfecta, in qua

Partem negantem sequitur quidam cuius mentionem facit Bernardus epist. 77. dicens neminem posse saluari sine baptismo suscepto vel martyrio, sequitur etiam Caiet. In summa verbo contritio numero 1. & tom. 1. opusculorum, tract. 4. q. 1. qui censet

14.

Conclus. 3. Sola contritio iustificat extra Sacramentum.

15. Obiectio ex D. Tho.

Resp.

Quo sensu dicitur elemosynæ remittere peccata.

16.

17.

Negat quidam apud S. Bernard. 77. Negat & Caiet.

Mich.
Baius.

Pamelius.

Esius.

18.

Affirm. est
communis.Est D. Th.
varii lo-
cis.

Albert.

Rich.

Durand.

Sor.

cenfet contritionem (quam distinguit ab attritione) posse esse informem, item Michael Baius, vt pater ex art. 72. qui sic habet: Per contritionem etiam charitate perfectam, & cum voto suscipiendi Sacramentum contritionem non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti. Baius videtur sequi Pamelium in scholijs epistolae 54. S. Cypriani in illa verba: Tum deinde si relictis omnibus, vbi cenfet improbabilem esse sententiam eorum, qui dicunt solam contritionem sufficere plerumque ad remissionem peccatorum, sequitur etiam Esius in 4. dist. 17. §. 2. qui id multis argumentis conatur probare, docetque raro peccata dimitti, primò vidente scandali, aut alterius peccati incurrendi si absolutio petatur. 3. si quis omnino non possit, aut non nisi difficillimè ad sacerdotem adire, à quo absoluitur, praesertim accedente seruire contritionis.

Pars affirmans est communis Theologorum tam antiquorum quam recentiorum, quam multis locis tradit Sanctus Thom. q. 89. ar. 1. ad 2. Actus primus penitentis se habet vt vltima dispositio ad gratiam consequendam, scilicet contritio, colligi etiam potest ex q. 66. art. 11. in corpore vbi docet aliquem posse consequi effectum baptismi sine eiusdem susceptione, vel etiam sine martyrio, in quantum scilicet alicuius cor per Spiritum Sanctum mouetur ad credendum & diligendum Deum & penitendum de peccatis. vbi vult docere baptismum flaminis seu penitentiae semper operari remissionem peccatorum quoad culpam, non minus quam baptismum aquae. q. 68. art. 3. in fine corporis ait: peccat (scilicet adulter de quo agit) si vltima tempus institutum ab Ecclesia differat accipere baptismum &c. sed tamen & hoc peccatum cum alijs deleri potest per succedentem contritionem, quia supplet vicem baptismi, vt supra dictum est, in additionibus q. 5. ar. 3. in fine corporis, sic igitur dicendum quantumcumque parvus sit dolor dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. nec repugnat q. 10. art. 5. in corpore vt facili legenti patere potest.

Idem sentit Albertus in 4. dist. 16. art. 31. in resolutione articuli, vbi docet dolorem, in quo saluatur contritionis essentia, sufficere ad culpae deletionem, & in solutione trium priorum argumentorum cenfet minimam contritionem sufficere ad deletionem culpae.

Richardus dist. 17. art. 1. q. 5. Respondeo quod cum contritio dicat actum penitentis charitate formatum & quantumcumque modica charitas sufficiat ad remissionem quantumcumque & quorumcumque peccatorum mortalium, quantumcumque parua contritio sufficit pro quantumcumque magno peccato, non sic autem dicendum est de attritione.

Durandus eadem distinctione q. 1. postquam egisset de dispositione imperfecta ad remissionem peccatorum ait: Dispositio verò perfecta est, quando homo detestatur peccatum non solum timore poenae, sed quia est contra reuerentiam, & obedientiam Deo debitam, & quia separat à consortio Dei: & vocatur contritio, sed talis dispositio simul est cum gratia in eodem instanti, confirmata habet q. 2.

Sotus eadem dist. q. 2. ar. 5. Subsequitur ex ijs quatuor differentiis ex parte effectus, quod scilicet attritio non sufficit hominem in gratia constitutur: contritio verò suā inuiscerā virtute diuinius receptā id facit &c. atque hinc tandem colligitur quinta, postremaque differentia, quod attritio potest esse actus informis, contritio verò nequaquam. videri potest distinctione 6. q. 1. art. 7.

concl. 4. & libr. 2. de natura & gratia cap. 16. sub finem.

Gabriel distinctione 14. q. 2. art. 2. conclusione 2. docet contritionem semper formatam esse gratiā, & ideo nullum peccatum secum compati &c. & sic etiam penitentiae Sacramentum antequam ministraretur, in ipsa contritione peccatorum remissionem operari.

Victoria in summa, de contritione num. 119. vel 120. valde improbat sententiam Caietani tanquam scripturis repugnantem.

Canus relectione 3. de penitentia §. Haec verò propositio, ait: si contritio semper praecederet (scilicet baptismum) tanquam dispositio, nunquam baptismus culpam mortalem remitteret, quia videlicet semper supponeret remissionem, & relectione de Sacramentis in genere, parte 5. §. praeterea Ioan. 3. loquens de Sacramentis veteribus, dicit: Sicut non dabatur plus gratiae quam fides mereretur, ita nec gratia conferebatur nisi habenti dispositionem, quae aliquam ipsa per se esset idonea ad remissionem peccatorum, quam dispositionem & contritionem appellamus.

Ioannes Medina cod. de penitentia tract. 1. q. 5. §. dicendum igitur ait: Dicendum igitur, communem sententiam sequendo, quod in hoc differunt attritio, & contritio, quod attritio est vltima & sufficiens dispositio ad gratiam, nec sine gratia esse potest, cod. de satisfactione tract. 3. q. 4. §. itaque videtur tenendum, habet consilia.

Vega lib. 13. in Tridentinum cap. 21. §. praeterea rege, penitentia, ait: penitentia, siue contritio, supponit fidem, & spes, sufficit per legem & gratiam Dei christiano peccatori ad consequendam veniam suorum peccatorum. idem tenet Bellarm. tomo 2. lib. 2. de penitentia cap. 13. Bannes 2. 2. q. 44. art. 5. in dubio, Valentia tomo 4. disp. 7. q. 8. puncto 1. §. Caiet. mo autem. Suarez Valent. tomo in 3. partem disp. 27. sect. 2. §. dicendum, & Summ. §. ex quibus, vbi docet sententiam Pamelij non posse sustineri & potius sententiam contrariam esse certum, & catholicum dogma, & disp. 28. sect. 1. in 1. conclusione docet Sacramentum baptismi non necessario supponere veram contritionem (videlicet distinctam ab attritione vt pater ex dicta sectione) vt suum effectum conferat, alias supponeret peccatum remissum, & vitam gratiae: quia haec statim datur per contritionem. videri potest tomo 4. dist. 4. sect. 7. & tomo 3. de gratia lib. 7. cap. 18. num. 7. vbi cenfet sententiam Baii esse erroneam.

Vasquez tomo 2. in 3. partem disp. 112. cap. 1. vbi nu. 3. dicit totam scholam ex verbis Ezechielis 18. semper indubitanter credidisse contritionem perfectam, quae est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, tantae esse virtutis, & efficacitatis, vt statim homo iustificetur, & peccatorum omnium remissionem consequatur.

Curiel 1. 2. q. 112. art. 3. dubio 1. §. 2. dicit quod habenti vltimam dispositionem ad gratiam, illa infallibiliter statim infundatur, & hoc sibi adeo esse certum, vt opposita sententia sit periculosa, & parum tuta in fide: hanc verò vltimam dispositionem esse contritionem secundum suam speciem.

Astensis in summa q. 5. de contritione, & passim alij tam scholastici quam Casistae, qui communiter cenfet contritionem, quam distinguunt ab attritione, esse vltimam dispositionem ad gratiam sanctificantem, & proinde ad deletionem culpae mortalis, quae saltem de lege ordinaria nequit cum gratia habituali consistere.

Quod

Quod si aliqui hanc vim videantur contritioni negare, seu docere contritionem non semper delere peccatum absque reali Sacramenti susceptione, non loquuntur de contritione specialiter sumpta & perfecta prout est species distincta ab attritione, sed prout est genus ad contritionem specialiter sumptam, & ad attritionem, & proinde non possunt solidè referri pro priori sententia, quod est diligenter notandum.

Dico 1. perfecta contritio potest delere peccatum etiam extra casum necessitatis, est certa, eò quod articulus Baij relatus, sit à duobus pontificibus damnatus, cuius articuli sententiam in re tenet Estius, cum in re censcat contritionem solum delere peccatum ante realem absolutionem in casu necessitatis, ut patet ex casibus, quos ponit: cum non possit assignare aliam causam, quam cuiusdam necessitatis; ob quam in casibus ab eo positus potius remittatur peccatum ante actualem Sacramenti susceptionem, quam in alijs.

Probatur 1. conclusio ex 2. regum 12. David dicens: *peccavi Domino*, adiunxit Nathan: *Domine quoque transiit peccatum tuum*, ex quo loco patet Davidem etiam extra casum necessitatis obtinuisse per pœnitentiam peccati remissionem.

Probatur 2. ex Ambrosio, oratione funebri de obitu Valentiniani Imperatoris, ubi fusi ostendit eum iustificatum propter vorum perfectum baptisimietiam extra necessitatem conceptum.

Probatur 3. articulus necessitatis non tribuit contritioni virtutem, quam extra illum non habeat, igitur si ratione contritionis peccatum remittatur in casu necessitatis sine actuali receptione Sacramenti, dicendum etiam extra illum remitti.

Dices, Bernardus Epistolâ citatâ hanc vim tribuit conversioni cordis, quando deest facultas baptismi recipiendi, imò id ipsum videtur docere Augustinus libro 4. contra Donatistas cap. 22.

Respondeo negatiuè: solum enim volunt quod homo habens copiam baptismi non sit salutem consecutus absque illo reipsa suscepto, nò quod peccatum non fuerit remissum per contritionem extra casum necessitatis elicitam, sed quod negligendo baptismum, cuius datur copia, peccatum mortale committat: quia non obstante peccatorum remissione per præcedentem contritionem obtentâ, remanet obligatio baptismi suscipiendi, atque adeo si negligatur datâ opportunitate, novum peccatum committitur, videri potest Aug. cap. cit.

Dico 2. quandocumque adest vera & perfecta contritio peccata remittuntur etiam extra Sacramentum. est communior scholasticorum, ut vidimus, & ita certa, ut prior sententia videatur parum tuta, cum non obscurè repugnet scripturæ, & ijs quæ tanquam certa supponuntur in Ecclesiâ.

Probatur 1. Ezechielis 18. *Si impius auerterit se ab iniquitatibus suis, iniquitatum eius non recordabor amplius. Item: si autem impius egredietur pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus est & c. omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor, atqui quisquis veram, & perfectam habet contritionem: auerit se ab iniustitiis, & perfectam agit pœnitentiam, ergo Deus non recordatur peccati illius, seu, ergo ei peccatum remittit cap. 33. *Impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua*, atqui per quamlibet veram & perfectam contritionem verè conuertitur ab impietate, igitur impietas ei non nocebit: noceret autem, si eius remissionem*

non consequeretur. vult ergo Deus per prophetam significare quemlibet verè contritum statim obtinere peccatorum remissionem, & gratiam sanctificantem recipere. Confirm. eodem modo iuxta prophetam vera conuersio obtinet remissionem peccatorum, quo peccatum nocet iusto, atqui peccatum ita nocet, ut eo instanti quo mortaliter peccat, iustitia non liberet eum, ut ait propheta, hæc loca, ita sunt clara, ut doctores passim ex illis colligant perfectâ contritionem esse ultimam dispositionem ad gratiam, & remissionem peccatorum obtinendam. Zach. 1. *Conuertimini ad me & conuertar ad vos.*

Probatur 2. ex Ambrosio, loco cit. qui iustificationem Imperatoris Valentiniani non refert in aliud, quam in perfectam conuersionem, quæ conuersio perfecta inuenitur in omni contritione, de qua agimus. ex Leone 1. epist. 91. dicente: *Nallas patitur venia moras vera conuersio*, igitur quando cumque homo verè conuertitur ad Deum, statim consequitur peccati remissionem.

Prob. 3. per quamlibet contritionem, de qua est sermo, homo ex Dei auxilio perfectè auertitur à peccato, igitur meretur de congruo illud statim sibi condonari. Confir. nisi dicamus illud statim condonari, non subest ratio dicendi, quod aliquando condonetur ratione talis contritionis, & omnino improbabiler dicitur peccatum condonari in fine vitæ ratione præcedentis contritionis, cum inde sequeretur aliquem in peccato mortali existentem posse iustificari, & saluari sine actuali Sacramenti receptione, martyrio vel nouo motu liberi arbitrij, quod est omnino absurdum.

Dices, ratione aliquarum contritionum peccatum nunquam condonari. sed contra est, quod si ponantur duæ contritiones æquales, nulla subsistit ratio asserendi hominem iustificari. & acquirere remissionem peccati propter vnâ, & non propter alteram: nullum enim est fundamentum asserendi, quod Deus ita inæqualiter se habeat circa duos, qui ex eius auxilio æqualiter auertuntur à peccato. si dicatur necessitatem in vno id postulare, non verò in alio, contra facit primo, quod id in priori conclusione sit refutatum, secundo possemus dicere hominem propter necessitatem etiam non contritum saluari posse absque vfu Sacramenti, quod tamen dici nequit, sola ergo necessitas non præbet sufficiens fundamentum asserendi positâ æquali dispositione in duobus, vnum acquirere remissionem peccati, alterum verò non acquirere. Non potest etiam dici, quod ad hoc, ut remittatur peccatum, requiratur excellens quædam contritio.

1. quia id ex nullo solido principio colligitur. 2. quia contritio, quantumcumque parua in suo genere, continet perfectam auersionem à peccato ex sua specie, & essentia, & proinde ex sua conditione est sufficiens dispositio ad obtinendam peccatorum remissionem. Confir. 1. excellenti alicuius actus virtutis, quæ concipitur superuenire speciei actus, non potest ei esse prima ratio obtinendi gratiam sanctificantem, quamvis possit esse ratio, propter quam maior gratia concedatur, & proinde excellentia contritionis non potest esse prima ratio obtinendi gratiam, quæ non concederetur minùs excellenti, & quod hinc sequitur, non est ratio cur alicui peccata remittantur alioquin non remittenda.

Confir. 2. dispositio ad remissionem peccatorum obtinendam in Sacramentis non requirit certam excellentiam, sed sufficit quantumlibet parua intra speciem requisitam, igitur quantumlibet parua

contritio

Zach. 1.

Prob. 1. ex PP. Ambrosio.

Leon.

Prob. 3.

22.

Replica soluitur.

Instantia alia removetur.

contritio sufficit ad eandem obtinendam extra Sacramenta.

Prob. 4.

Probat 4. constat in Ecclesia ad recipienda Sacramenta viuorum, per se loquendo, requiri statum gratiae, seu nullam in statu peccati mortalis existentem, per se loquendo, posse illa recipere absque peccato, rursus constat in eadem Ecclesia ad recipienda licite Sacramenta viuorum non requiri confessionem, sed sufficere contritionem (si Eucharistiam excipiamus) igitur Ecclesia censet ratione contritionis semper remitti peccatum mortale. Consequentia probatur, nullus censet talem excellentem contritionem requiri, ut Sacramentum viuorum recipiatur, sed simpliciter censetur sufficere contritio.

Confirm. si requireretur certus gradus excellentiae, nullus posset prudenter cum sola contritione accedere ad haec Sacramenta, cum nullus possit etiam moraliter cognoscere suae contritionis excellentiam. Idem dici potest de conferente Sacramenta ex officio, qui non potest ea licite conferre in statu peccati mortalis: cum tamen non peccet communi sententia si existens in peccato cum sola contritione ea conferat, quamuis non prius confiteatur, etiam data copia confessarii.

23.
Obiectio
quorundam
ex Trid.

Obijciunt aliqui Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. & canone 11. tradens conscientiam peccati mortalis, quantumcumque contritum debere receptioni Eucharistiae confessionem praemittere si detur copia confessarii; quod non videtur posse aliunde prouenire, quam ex eo quod contritio non debeat peccatum. si enim debeat, iam homo est iustus, & proinde legitime dispositus ad huius Sacramenti receptionem, nec ulterius indiget confessione, ut disponatur.

Resp.

Resp. nihil ex praedicto loco confici. quia iuxta idem Concilium, qui sibi est conscius peccati mortalis non peccat accedendo ad hoc Sacramentum cum sola contritione, si desit copia confessarii, & proinde eo casu, per se loquendo, supponitur confectus remissionem peccati; defectus autem confessarii non tribuit eam vim contritioni, sed eam supponit, & quidem in quocumque excellentiae gradu ea sit, cum Concilium non restringat suam doctrinam ad contritionem excellentem. neque ea vis competit contritioni propter necessitatem, ut supra ostendimus. Dico ergo Concilium non docere requiri confessionem in peccatore etiam contrito, eo quod contritio non iustificet, cum contrarium pateat ex alijs Sacramentis viuorum, quae cum sola contritione licite recipiuntur ab eo qui sibi est conscius peccati mortalis, sed id docere eo quod sit peculiariter institutum pro hac Sacramento, vel iure diuino, vel antiqua consuetudine Ecclesiae propter maximam huic Sacramento debitam reuerentiam.

24.

Coroll. 1.

Ex his patet 1. ad hoc, ut contritio debeat peccatum, non requiri gemitus & lachrymas, quia si ne his ratio contritionis potest consistere, ut S. Thom. & passim alij Doctores, imò etiam potest consistere perfectissima contritio, cum huiusmodi gemitus saepe possint ortum habere ex complexione corporis, & actus voluntatis etiam perfectissimus non habeat necessariam cum illis connectionem, è contra in quibusdam huiusmodi gemitus possunt facile inueniri cum imperfecto dolore voluntatis.

Coroll. 2.
contra Scotum.

Patet 2. non esse probabile, quod docuit Scotus in 4. dist. 14. q. 2. §. de secundo principali, scilicet ad hoc ut actus, qui dicitur contritio, iustificet, requi-

ri aliquam temporis durationem, in cuius termino fiat peccatorum remissio & non ante. ubi

Aduerte Scotum existimare eundem actum esse contritionem & attritionem; attritionem quidem esse omnimodiam, antequam gratia informetur; contritionem vero quando iam informatur gratia, & proinde secundum ipsum attritio, & contritio non differunt in intrinsecis, sed solum in concomitantibus, quae doctrina

Minus prob. 1. quia ut infra ostendetur, contritio, attritio & attritio sunt actus speciei differentes, & proinde unus, & idem actus entitativè non potest dici esse contritio, & attritio. Confirm. Concilium Trid. non obscure id tradit, quando sess. 14. cap. 4. docet contritionem aliam esse perfectam, aliam imperfectam, quam vocat attritionem. ubi aperte videtur agere de actibus distinctis.

Minus probatur 2. quod contritionem vocet talem, eo quod gratia informetur, quia contritio est, & dicitur ultima dispositio ad gratiam, & proinde non habet à gratia quod sit contritio, sed aliunde, & quia est contritio, conceditur gratia.

Minus probatur 3. quod ad rationem contritionis requiratur certam temporis continuationem, cum ratio contritionis non videatur spectanda ex fluxu temporis, sed ex naturali conditione, & specie actus.

Confirm. alij actus voluntatis, & virtutum supernaturalium possunt in instanti produci.

Hinc minus probatur 4. quod sentiat aliquam temporis moram requiri, & certam durationem, ut peccatum ratione contritionis remittatur.

1. Quia, ut iam ostensum est, entitas actus contritionis potest poni in instanti, nec moram requirit, ut suam speciem sortiatur, ergo nec requirit certam temporis moram, ut operetur remissionem peccatorum. consequentia probatur, ille effectus poni potest in eo instanti, quo est contritio, & non habemus aliunde, quod Deus aliquam moram continuatam requiratur, ut illum conferat, quin potius contrarium habemus ex locis Ezechielis citatis.

Confirm. iuxta Scotum ei, qui perfecte ad Deum convertitur, noceret iniustitia, quia potest aliquis conuerti, quamuis passim continuet actum contritionis.

Adde quod cum homo ignoret, quanta mora requiratur ad hoc, ut ratione contritionis infundatur gratia, & remittantur peccata, aliquis conscientiam peccati mortalis non poterit accedere ad confirmationem recipiendam quantumvis putet se contritum, cum enim nesciat, quanta mora requiratur ut contritio debeat peccatum, non potest prudenter existimare se sufficienti tempore eliciisse contritionem ad obtinendam peccati remissionem.

2. Ecclesia tacite censet hanc temporis durationem non exigi ad hoc, ut contritio hunc effectum operetur. Probat 7. cit. sess. 13. simpliciter censet aliquem sibi conscientiam peccati mortalis posse accedere ad Eucharistiam cum contritione, si desit copia confessarii; contritio autem potest in instanti elici, ut dictum est.

Confirm. si requireretur duratio, Ecclesia non deberet praetermittere id docere, cum ex eius neglectu fideles maximo fructu priuarentur.

Adde ex sententia Scoti sequi, homini facienti, quantum est in se ex diuina gratia, & conuerenti se ad

se ad Deum, posse non suppetere medium ad salutem consequendam, quod videtur absurdum. sequela patet, si homini elicienti actum contritionis, non suppetat longius vitæ spatium.

Contra secundam conclusionem multa argumenta congerit Etlus supra, & ex eo Syluius. quamvis enim videantur intendere raro dimitti peccatum ante actuale Sacramenti susceptionem; plerisque tamen argumentis conantur probare id raro fieri etiam positâ contritione perfectâ, seu prout distinguitur ab attritione.

Obijciatur itaque 1. Luca 7. Magdalene diligenti ex perfecto amore non statim sunt remissa peccata, sed postmodum quando Christus dixit: remittuntur ei peccata multa.

Resp. negando assumptum: quia verbum, remittuntur, commodè potest explicari per præteritum remissa sunt, fauentque Græca. videri potest Toleus in huc locum, Bellarminus lib. 2. cit. cap. 14. & alij. imò idem dici potest, quamvis verbum in presenti accipiamus; quia moraliter loquendo dici potest in presenti remitti, quod paulò antè remissum est, & moraliter loquendo in eodem temporis tractu.

Confir. eodem cap. paulò post Christus iterum dixit Magdalene: remittuntur tibi peccata, ubi constat verbum præsens, remittuntur, non ita præcisè significare præsentem remissionem in fine orationis, ut peccata non fuerint antea dimissa, sed vel declarationem, quòd fuerint antea dimissa, vel certè ut non referatur strictè ad moram, quâ proferebatur sententia, sed ad actionem, quæ moraliter celebratur adhuc præsens, quando ea verba fuerunt prolata.

Nec dictis repugnat Aug. lib. 50. homiliarum hom. 23. dicens: accessit autem ad dominum immunda, ut rediret munda, accessit agra, ut rediret sana. quia fieri potest ut non conceperit perfectum dilectionis actum antequam ad conuiuium accederet, & ita non fuerit antea consecuta remissionem suorum peccatorum, quamvis fuerit consecuta, priusquam verba citata à Christo proferentur.

Obijciatur 2. Actorum 22. Ananias dicit Paulo: & nunc quid moraris! Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius; igitur Paulus non fuerat antea consecutus remissionem peccatorum, cum tamen esset perfectissimè conuersus.

Resp. negando consequentiam: pro quo suppono non videri dubitandum, quin B. Paulus ante baptismum fuerit perfectè ad Deum conuersus, ut colligi potest tum ex cap. cit. Actòrum, tum ex cap. 9. vnde dubitandum non est quin ante baptismum acceperit Spiritum Sanctum, cum Cornelius, & alij eum acceperint ante baptismum, ut patet ex fine cap. 10. Actòrum; in Scriptura autem non solet dici absolute dari, vel recipi Spiritus Sanctus, nisi recipiatur gratia sanctificans, ut diximus q. 71. art. 1. dub. 1. igitur Cornelius, & alij fuerunt ante baptismum reipsa susceptum sanctificati, & proinde non videtur posse solidè negari Apostolum eandem iustificationis gratiam ante baptismum recepisse. ad locum ergo in argumento citatum. Respondeo quòd baptismus sit Sacramentum regenerationis, quòd ab vnoquoque quantumvis iusto est recipiendum si detur eius copia, & proinde Ananiam potuisse ita loqui, licet Paulus antea esset iustificatus, quia nihilominus tenebatur ipsi regenerationis Sacramentum recipere, & externum signum gratiæ regeneratiuæ.

Obijciatur 3. Trid. sess. 6. cap. 6. recensens dispositiones ad iustificationem dicit: illumque tanquam

omnis iustitia fontem diligere incipit, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet: cap. verò 7. dicit: hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur. cuius causam instrumentalem ponit baptismum, ergo Concilium censet perfectam pœnitentiam non delere peccatum ante actuale baptismi susceptionem.

Resp. 1. si quid ex Tridentino colligi possit, concludi, quòd contritio nunquam operetur remissionem peccatorum ante Sacramentum, quòd est contra alios, & ipsum Concilium tum cap. 4. eiusdem sessionis, tum cap. 4. sess. 14. vnde

Resp. 2. negando consequentiam. 1. quia aliqui verba citata cap. 6. intelligunt de amore concupiscentiæ & odio peccati proportionato, quæ sunt actus spei. videri potest Vasq. 1. 2. disp. 203. c. 6. secundò, quamvis possint intelligi de amore super omnia & perfectâ pœnitentiâ: quòd est omnino verius, ut optimè ostendit Suar. to. 1. in 3. p. disp. 4. sect. 8. in editione anni 1604. non tamen de illâ solâ accipiendâ sunt, sed in genere de amore, & odio iuxta modum, & exigentiam iustificationis, ita ut pro iustificatione extra Sacramentum requiratur perfectâ pœnitentiâ, pro eâ, quæ acquiritur per Sacramentum, sufficiat imperfecta. Ad id quòd ex cap. 7. adfertur, dico ex eodem Concilio cap. 4. eiusdem sessionis patere aduultum non baptizatum posse iustificari etiam per votum baptismi, & proinde ante baptismum reipsa susceptum. videri possunt Vega lib. 6. in Trid. cap. 26. Molina in concordia q. 14. art. 13. disp. 44. Suarez tomo 3. de gratiâ, lib. 7. c. 20. nu. 3.

Obijciatur 4. idem Trid. sess. 6. cit. canone 3. dicens anathema asserenti sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, pœnitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur.

Resp. nullo modo apparere, quid hinc solidè possit confici, cum etiâ omni euentu quo alij censent cōtritionem operari remissionem peccati extra Sacramentum, debeat dici hominē non posse pœnitere vtiliter ad hanc remissionem obtinendâ absque Spiritus S. inspiratione, & proinde dico ex eo canone nō haberi quòd ipsa iustificationis gratia nō possit infundi vel reipsa infundatur simul tempore cum exercetur cōtritionis actus, neque ideo non potest dici quòd habeatur cōtritio, ut gratia infundatur.

Obijciatur 5. idem Concilium sess. 14. cap. 4. ubi dicit: docet prætereas cōtritionē hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ergo Concilium censet contritionem non semper reconciliare ante actuale Sacramenti susceptionem.

Resp. neg. conseq. quia Concilium nō vult contritionem perfectâ solum aliquando reconciliare, sed cum in superioribus egisset de contritione in genere, descendens ad eius species docet aliam esse perfectam, aliam imperfectam: hanc non iustificare extra Sacramentum, illam utpote charitate perfectam reconciliare. vbi

Notandum quòd Conciliū non velit contritionē illā perfectā in peccatore prouenire ab habitu charitatis, tanquam causâ efficiente, sed quòd charitas eodē instanti illi cōiungatur, & ita hominē reconciliet, ita ut particula, aliquando, non afficiat verbū, reconciliare, per respectū ad contritionē perfectam, sed cōiungatur cum particulis, contingat esse perfectā, hoc sensu: cōtrigit aliquando contritionē esse perfectā, quæ perfecta reconciliat, vel afficiat verbū, reconciliare, per respectū ad contritionē in genere sumptā,

C c c

hoc

Resp.

30.

Obiectio 4.
ex eod. Trident.

Resp.

Obiectio 5.
ex eod. Trident.

Resp.

Explicatur
Trid.

hoc sensu: etsi contingat contritionem aliquando reconciliare, scilicet quando est perfecta. unde ex hoc loco non contorto potius communis, & vera sententia potest confirmari.

31.

Obiectio 6.

Resp.

Obijciunt 6. quod ex dictis videatur everti necessitas Sacramentorum baptismi, & penitentiae. Resp. neg. assumptum: cum enim contritio non dealeat peccatum in nouo testamento sine voto baptismi, vel penitentiae, ut constat ex Tridentino, remanet obligatio, & necessitas hanc Sacramenta suo tempore recipiendi. quod in omni sententia est dicendum: si quis enim in casu necessitatis ratione contritionis iustificatus superuiuat, & habeat copiam horum Sacramentorum, tenetur ea recipere. omitto alias solutiones bonas quidem, sed ad argumentum minimè necessarias.

32.

Obiectio 7.

ex August.

Resp.

Obijciunt 7. Aug. tract. 13. in Ioannem dicens: *quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sacramentum suae iniquitatis portat, nec illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum.*

Resp. hinc concludi posset peccatum nunquam dimitti sine reali baptismi susceptione, quod constat esse falsum, ut patet ex Trid. sess. 6. c. 4. dico ergo Aug. ita loqui, quia homo nondum baptizatus quantumvis sibi iustus videatur, non potest baptismum negligere, si detur eius copia, cum obligetur eum suscipere. vide dicta q. 68. art. 3. dub. 4. ubi similia loca Aug. explicuimus.

33.

Obiectio 8.

Resp.

Obijciunt 8. Leo epistola citata dicens: *diuinae bonitatis praesens ordinatio est, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*

Resp. subintelligendum vel saltem voto Sacramenti penitentiae, quod inuoluitur in contritione.

DV B I V M V.

Quomodo contritio concurrat ad peccati remissionem?

34.

Sensu quaestio-
nis.
Vasquez.
Vult esse
formam iu-
stificationis.
Communis
opinio cen-
set concurrere dispo-
sitionem.

35.

Conclus. 1.

Elle dispo-

sitionem.

Q V A E R I M U S, an se habeat tanquam dispositio, an verò tanquam causa formalis.

Vasquez l. 2. disp. 203. c. 3. & seqq. censet in adultis qui per actum contritionis iustificatur & acquirunt remissionem peccatorum extra Sacramentum, contritionem esse formam iustificantem, quod etiam tradit 1. parte, tomo 1. disp. 2. c. 6. nu. 60. Communis Doctorum censet concurrere dispositionem, ut patet ex quam plurimis dubio superiori citatis. Resp. &

Dico 1. contritio etiam perfecta respectu remissionis culpe est dispositio. Probatur ex Trid. sess. 6. c. 6. ubi inter ceteras dispositiones ad iustitiam ponit penitentiam, sub qua posse comprehendere contritionem supra ostendimus, & c. 7. dicit: *hanc dispositionem, seu preparationem iustificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio &c.* & can. 3. damnat aliterem posse hominem sine praesente Spiritu S. inspiratione &c. penitere, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur. quā loquendi formā satis indicat penitentiam, seu contritionem esse preparationem, & dispositionem ad gratiam iustificationis obtinendam. porro iustificatio etiam inuoluit remissionem peccatorum, ut patet ex c. 7. cit. videri potest Suar. sect. cit. dub. superiori, ubi id fusè ostendit ex Conc. Trid.

Est verò dispositio, ut est natura prior, quam sit gratia iustificans, & proinde contritio dici potest dispositio, ut informis. quamvis enim, ut patet ex dubio superiori, eodem temporis instanti, quo homo elicit perfectam contritionem, recipiat gratiam habitua-lem, atque adeo contritio nullo unquam tempore sit

informis: si tamen spectemus ordinem naturae, prior est ipsa contritio, quam infusio gratiae sanctificantis, & remissio peccati, in quo priori spectatur ut informis.

Dico 2. contritio non concurrat ad remissionem peccati tanquam causa formalis. Prob. 1. ex Doctoribus, qui communiter solum censent contritionem esse dispositionem. 2. vna eademque res numero non est dispositio, & causa formalis respectu eiusdem effectus, ut facile patet inductione in naturalibus, cum ergo ex superiori conclusione pateat contritionem esse dispositionem respectu remissionis peccatorum, non est quod asseramus eam esse causam formalem. 3. id satis indicat Trid. sess. 6. c. 7. cum ponit vnicam causam formalem nostrae iustificationis, quae constat non esse contritionem in ijs, qui per Sacramenta sanctificantur, & peccatorum remissionem accipiunt, ergo neque ea dicenda est causa formalis respectu remissionis, quae sit extra Sacramenta. Confir. in re ipsa nunquam fit remissio culpe mortalis sine aliquo physico, à quo homo nominetur sanctus, & iustus, illud autem videtur debere esse eiusdem naturae, & speciei in omni modo iustificationis, cum ergo homo in Sacramento iustificetur formaliter per aliud, quam per contritionem, sequitur quod quando iustificatur, & consequitur remissionem peccati extra Sacramentum, contritio ipsa non sit forma iustificans.

Ex his autem patet non solum contritionem non esse totam formam sanctificantem, sed nec esse partialem, tū quia Conc. Trid. vnicam agnoscit formam iustificationis, quod non posset dici, si homo esset formaliter iustus modò per solā gratiam habitua-lem, quae est aliquid permanens, modò per illā simul cum contritione: tum quia iustitia, quā sumus formaliter iusti, non videtur asserenda diuersae speciei, esset autē diuersae speciei, si interea homo esset iustus sine contritione, interdum verò illa concurreret ad constituendam formalem causam iustificationis, cum hoc aggregatū includat aliquid distinctae naturae à priori forma: tum quia quando iustificatio fit extra Sacramentum, inuenitur forma distincta à contritione, quae hominem sufficienter constituat formaliter iustum, ergo non est, quod eo casu dicatur contritionem constituere partem causae formalis iustificationis.

Ex dictis facile patet, quod non repugnet hominem elicere perfectam contritionem peccatorum, & non consequi eorundem remissionem: quamvis enim de facto hac remissio semper consequatur contritionem: quia tamen contritio non praestat seipsa huius effectum, nil implicat eam poni, & non poni remissionem peccatorum. Confir. etiam posita contritione, remissio peccati est peculiare Dei beneficium, quod Deus non tenetur praestare. Vtrum verò necessarium tolleretur peccatum posita contritione, si ea se haberet per modum causae formalis respectu remissionis peccatorum ex infra dicendis colligi poterit.

Contra secundam conclusionem potest obijci quod Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. doceat contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare, ubi indicat id seipsa praestare per modum causae formalis.

Resp. neg. Cōcilium id indicare, solum vult homini contrito remitti peccata ante actualē Sacramenti receptionem quomodocumque contritio ad id concurrat, & quod ea reconciliatio possit contritioni attribui in suo genere, scilicet dispositioni, & per modum meriti de congruo. quod genus concursus solum arguunt varia Scripturae testimonia & rationes variae, quae in contrarium adferri possent.

D V.

D V B I V M VI.

Utrum ad contritionem requiratur formalis amor Dei super omnia?

VIDEATUR requiri ex eo quod contritio communiter describitur dolor de peccato propter Deum summè dilectum. ex altera tamen parte videtur non requiri, cum contritio & dilectio Dei super omnia sint actus distincti, qui proinde possint in re ipsa à se inuicem separari.

Resp. & dico 1. non repugnat inueniri veram contritionem sine formali actu amoris Dei super omnia.

Probatur 1. vnusquisque videtur in se experiri, quod possit per modum fugæ ferri in peccatum, quamuis non eliciat formaliter vllum actum, qui se habeat per modum prosecutionis, ergo nihil obstat, quod minus ferri possit in peccatum illud detestando, & dolendo de eo propter summam Dei bonitatem, tanquam propter rationem formalem obiectiuam, quamuis non feratur actu explicito in Deum, tanquam in obiectum materiale. unde

Probatur 2. actus contritionis & amoris Dei super omnia differunt obiectis, quorum vnum sine altero potest menti obijci, ergo voluntas potest vnum actum elicere quamuis non eliciat alium. consequentia probatur, quæ re & obiectis differunt, possunt sine se inuicem inueniri. antecedens verò probatur, peccator potest considerare peccatum, vt summè repugnans diuinæ bonitati & illud representare volutati vt tale, quamuis non apprehendat explicitè Deum tanquam amandum, ergo potest obiectum vnus actus menti obijci quamuis alterius obiectum menti non obijciatur.

Dico tamen 2. amor Dei super omnia virtute includitur in vera contritione. explicatur; vera contritio dolet de peccato illudq; detestatur tanquam summè repugnans diuinæ bonitati, ergo per modum fugæ fertur in peccatum sub eadem ratione formali sub qua homo fertur in Deum per modum prosecutionis per actum amoris, atque adeo contritus ita se habet, vt ex vi illius motus ferretur in Deum per actum amoris super omnia, si Deus obijceretur tanquam amandus, nam motus fugæ respectu vnus contrarij ita se habet, vt iuxta naturalem conditionem sequatur ex prosecutione alterius contrarij spectati sub eadem ratione formali, vel saltem impellat animum ad huiusmodi prosecutionem.

Confir. homo non potest dici verè dolere de malo tanquam summè alteri repugnante, nisi feratur in illam motu amoris, si tanquam amandus menti obijciatur.

Ex quibus deduci potest quomodo videatur intelligendum dictū illud Theologorum, quod contritio sit dolor propter Deum summè dilectum; dico enim esse propositionē causalem, per quam potest significari primò, quod contritio conuenienter naturæ suæ oriatur ex amore Dei super omnia: nam actus voluntatis, qui se habent per modum fugæ, summè conformiter naturæ suæ sequuntur ex alijs actibus, qui se habent per modum prosecutionis, vt odium mali proximi, desiderium malum illud auerendi, dolor de eo quando inest subiecto, iuxta naturalem conditionem sequuntur ex amore proximi. potest 2. significari quod contritio sit actus charitatis, qui tendat in peccatum sub eadē ratione

formali per modum fugæ, sub qua amor Dei tēdit in ipsum Deum per modum prosecutionis, atque ita cōtritio sit illius naturæ, & cōditionis vt hominē excitet ad amorē Dei super omnia, si Deus obijciatur menti, tanquā amandus. Ex quo fit vt amor Dei super omnia merito dici possit virtute contineri in contritione tanquam accessus ad terminum ad quem, qui cōtinetur implicite in recessu à termino à quo, qui recessus in actibus voluntatis potest inueniri sine formali accessu propter rationes dictas.

Ex quo patet amorem Dei super omnia, qui est prastantissimus charitatis actus, posse dici contineri virtute in alio, & quo sensu id dici possit.

Patet etiam responsio ad id, quod initio dubij pro parte negante allatum fuit.

Hoc posito difficultas est, an requiratur formalis actus amoris super omnia, vt contritio suo modo concurret ad iustificationem, & peccatorum remissionem? aliqui enim id asserunt.

Verum alij probabilius negant, quia id est conformius Scripturæ, quæ tribuit remissionem peccatorum perfectæ poenitentiae, quam ex iam dictis constat posse inueniri absque formali actu dilectionis Dei super omnia. assumptum patet ex cap. 18. & 33. Ezechielis, & ex 2. Regum 12.

Confir. 1. ex eo quod supra ostendimus ipsam contritionem esse sufficientem dispositionem ad obtinendam remissionem peccatorum extra Sacramentum, ergo eum effectum potest fortiri, etiam si inueniatur sine actu, sine quo actu potest inueniri.

Confir. 2. si ad remissionē peccati semper requireretur formalis amor Dei super omnia, remissio non tam posset tribui contritioni, quam amoris Dei, vel aggregato ex amore, & contritione.

Probatur 2. perfecta contritio tendit in peccatum per modum fugæ propter rationem excellentissimam, ergo per modum dispositionis videtur debere sufficere ad illius deletionem.

Contra obijciatur 1. Lucæ 7. dicitur: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. quamquam hic locus ita explicetur à quibusdam vt nihil ad rem præsentem faciat.

Resp. eo loco ostendi quidem dilectionem Dei super omnia esse sufficientem dispositionem ad gratiam sanctificantem, & ad remissionem peccatorum obtinendam, non tamen ostendi eam solam ad id valere. adde ex eodē loco aliquo modo ostendi posse etiam antorem expressum requiri ad remissionem peccati, quando illud ita offertur mēti, vt Deus simul obijciatur amandus super omnia: non tamen ostendi nunquam remitti sine huiusmodi formali actu amoris per actum, qui virtualiter amorem contineat.

Obijciatur 2. priori ad Corinth. 13. negatur quidquam valere sine charitate.

Resp. nihil hinc effici. 1. quia, vt ex dictis patet, cōtritio est excellentissimus charitatis actus virtute saltem includens amorē Dei super omnia, & hominem aduertens à peccato, eò quod illud summè repugnet diuinæ bonitati. 2. dico hunc Apostoli locū non necessariò intelligendum de actu charitatis, sed Apostolū ibi solum velle quod nihil prosit homini, nisi saltem in fine vitæ coniungatur charitas, quod potest commodè intelligi de habitu.

Obijciatur 3. 1. Ioan. 3. dicitur: qui non diligit manet in morte.

Resp. nihil hinc confici: quia Apostolus eo loco agit de dilectione proximi, cum tamen certum sit non requiri actuale dilectionem proximi, vt peccatum alicui remittatur.

41.

Difficultas.

Negatiue
resoluitur.
Prob. 1.

Prob. 2.

42.

Obiectio 1.
ex Luc. 7.

Resp.

Obiectio 2.
ex 1. Cor. 13.

Resp.

Obiectio 3.
ex 1. Ioan. 3.

Resp.

Ccc 1

Obijci-

Obiectio 4.
ex August.

Obijciatur 4. Aug. lib. de verâ, & falsâ penitentiâ cap. 9. dicens: *sine amore nemo unquam gratiam invenit, nec veniam affectus est, & serm. 3. de natiuitate, penitentiam euitam non facit nisi odium peccati & amor Dei*, ergo formalis actus amoris Dei requiritur ad acquirendam mortalium remissionem.

Resp.

Resp. negando consequentiam: quia hæc, & similia loca possunt explicari, vt intelligantur de amore quando proponitur Deus amandus, vel de amore virtualiter inclusio in contritione, si quando Deus non ita representetur.

43.

Obiectio 5.

Obijciatur 5. Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. requirens contritionem charitate perfectam, vt homo reconcilietur Deo, priusquam actu suscipiatur Sacramentum penitentiae.

Resp.

Resp. Concilium solum velle contritionem, quam distinguit ab attritione, habere cōcomitantem charitatem habitualem hoc sensu: aliqua contritio, scilicet perfecta, per quam homo dolet de peccato propter sublimissimum motum, nimirum eo quod summè repugnet diuinæ bonitati, hominem Deo reconciliat ante actuale Sacramenti susceptionem: quia eodem instanti, quo illa elicitur, gratia in anima infunditur, atque ita huiusmodi contritionem charitas habitualis concomitatur, quod non competit imperfectæ contritioni, scilicet attritioni.

Corollar.

Ex dictis facile colligi potest, quid censendum sit de proposito non peccandi de cætero, quod scilicet ad rationem contritionis non necessariò requiratur huiusmodi formale propositum, cum hi actus entitate, & obiectis differant. Confir. hoc formale propositum non magis requiritur ad rationem contritionis, quam requiratur in nouâ lege propositum suo tempore consistendi, quod tamen non requiritur formale. requiritur tamen saltem virtuale: quemadmodum requiritur virtualis amor Dei super omnia. imò si menti offerantur peccata, vt in posterum vitanda, voluntas necessariò debet elicere formale propositum, quia moraliter non potest esse vera, & sincera contritio, nisi quis velit vitam emendare, & quantum in se est, peccata in posterum vitare.

45.

Conciliantur
diuersæ
doctrinæ
sententiæ.

Confir. si practicè obijciatur Deus, vt super omnia amandus, necessariò huiusmodi amor Dei est eliciendus, vt peccator censeatur habere veram contritionem peccatorum, & vt in gratiam cum Deo redeat, amor autem in hac vitâ vix potest intelligi sine proposito seruandi Dei mandata, si ea menti occurrant, cum amor noster in hac vitâ debeat esse obediens, qui debet impellere ad obseruationem diuinorum mandatorum.

Hac ratione conciliari possunt varij auctores, quorum aliqui censent ad contritionem requiri propositum vitam emendandi, alij id videntur negare. posteriores enim solum volunt non semper & omnimodâ necessitate requiri propositum formale: priores verò possunt intelligi, quod, per se loquendo, illud propositum requiratur, si videlicet peccata menti occurrant, vt in posterum vitanda: quia eo casu homo moraliter loquendo non videtur posse elicere veram contritionem sine tali proposito, nisi forte sit in articulo mortis constitutus, in quo de tali proposito non debet multum esse sollicitus, nec est ad id obligandus.

Notandum
pro praxi.

Aduerte pro praxi ad hoc, vt quis habeat propositum vitandi peccata in futurum, & ex eo capite legitimè disponatur ad Sacramentum penitentiae, & eius effectum, non requiri, vt posituè iudicet se constanter euitaturum peccata etiam

mortalia, sed quod in presenti verè proponat, quantum in se est, illa vitare: qui actus, vt patet, haberi potest cum iudicio probabili, quod quis reincident in peccata. vnde peccator qui propter consuetudinem vix sperat se non rursus lapsurum in eadem peccata, potest legitimè disponi ad absolutionem obtinendam.

D V B I V M VII.

Utrum contritio debeat esse dolor omnium peccatorum mortalium?

RESP. breuiter affirmatiue, scilicet explicite, vel implicite ratio est, quod per veram contritionem homo feratur motu fuge in peccatum sub ratione omnibus peccatis mortalibus communi: quia scilicet summè repugnat diuinæ bonitati, & diuinam amicitiam dissoluit. vnde fieri nequit, vt aliquis verè doleat de mortali sub eâ ratione, & non simul doleat saltem implicite de quolibet conueniente cum huiusmodi peccato in eadem conditione.

Confir. per veram contritionem peccatum remittitur, & homo admittitur ad Dei gratiam, fieri autem nequit saltem secundum legem Dei ordinariam, vt vnum mortale homini remittatur sine alio, seu, vt homo qui habet plura mortalia, consequatur remissionem vnius, & non reliquorum, igitur consequitur remissionem omnium; atqui de lege ordinariâ nullus consequitur remissionem mortalium sine penitentiâ saltem implicite; ergo vera contritio debet saltem implicite sese ad omnia peccata mortalia extendere.

Dixi implicite, quia non semper requiritur dolor expressus, & expressa detestatio singulorum mortalium, verbi gratia, si habens plura mortalia solum recorderetur vnius, potest habere veram contritionem, per quam actu & formaliter doleat de eo solo peccato, qui tamen propter rationem allatam implicite censebitur de alijs dolere, & dolor ad ea implicite se extendet: quia affectus talis est, vt ex vi illius auerteretur ab omnibus alijs, si ea menti obijcerentur. vnde

Notandum quod, per se loquendo, requiratur formalis dolor, & detestatio omnium mortalium, per se, si videlicet ea menti obijciantur. quia si quis non querat formalis dolor omnium mortalium, censebitur habitu erga illud affici, ergo dolor de alio verè, & à parte rei non erit contritio. nam, vt ex dictis patet, repugnat aliquem verè contriti de vno peccato, & habitu affici ad aliud similis conditionis, seu similiter auertente à Deo summo bono.

Ex hoc sequitur, quod si quis sibi sit conscius plurimum mortalium, & non doleat de singulis, non sit consecutus gratiam habitualem, & peccatorum remissionem: quia vnum peccatum mortale de lege Dei ordinariâ non remittitur sine alio, & gratia repugnat omnibus peccatis; cum ergo talis nec auertatur à peccatis, de quibus non dolet, nec possit censeari ab eis auersus, non consequetur eorum remissionem, & proinde neque gratiam habitualem, & per consequens neque obtinebit remissionem eius cuius dolorem concipit.

Aduerte, quod cum dicimus ad veram contritionem requiri expressum dolorem omnium peccatorum mortalium, quæ menti obijciuntur, non velimus

requiri

48. requiri circa singula peccata diuersos actus, sed quod requiritur, vt homo feratur in omnia formaliter, & actu expresso de illis dolendo.

Probatur, omnia peccata mortalia, vt conuenientia in ea ratione communi, scilicet quod Deo summè bono repugnant, possunt mouere voluntatem, vt per vnum actum ab eis auertatur, & doleat se ea commisisse, quemadmodum aliqua alia multitudo obiectorum potest vno actu voluntatis appeti &c. Confit. repræsentatis plurimis peccatis, quæ homo commiserit, potest vno instanti sufficienter disponi ad eorum remissionem obtinendam, ergo potest vno instanti habere omnium perfectam contritionem, quod moraliter dici non posset, si pro singulis peccatis requirerentur singuli, & diuersi actus contritionis, cum moraliter saltem sit difficillimum voluntatem eodem instanti elicere plurimos actus prout in casu requirerentur. antecedens probatur, nullus viator vtens ratione ita videtur constitutus, vt cum Dei adiutorio nequeat quolibet instanti peccatorum remissionem à Deo impetrare.

Ex dictis facile potest colligi resolutio eius, de quo inter Doctores aliquis est cōtrouersia, num videlicet examen præmittendum sit ad eliciendam contritionem in quo aliqui partem affirmantem sequuntur, alij negantem, quæ est omnino verior, pro qua

49. Notandum illud examen posse concipi necessarium vel ad veram rationem contritionis, ita vt sine huiusmodi examine vera contritio elici nequeat, vel ad hoc, vt contritio iustificet, necessitas examinis non requiritur ex priori capite, cum aliquis ex confusa consideratione vitæ præteritæ possit dolere, quod Deum summè bonum offenderit, & firmiter proponere vitæ emendationem, possit, inquam, id facere quamuis nullum peccatū in particulari consideret, igitur contritio potest inueniri etiam sine examine conscientie, antecedens

Probatur 1. ex eo quod nulla in eo appareat etiā moralis repugnantia, imò homines id interdum videantur in se experiri. 2. ex eo quod status peccatoris ita in confuso repræsentatus sit sufficiens hominem mouere ad eliciendum aliquem actum auersionis circa peccata præterita, vt repugnantia diuinæ bonitati, cui actui nihil deerit ad rationem contritionis, vel ostendatur, quid desit.

Confit. in articulo mortis quando non posset haberi perfectior notitia peccatorum, tali pœnitenti posset impendi absolutio, ergo signum est dolorem de peccato confuse considerato posse fortiri rationem saltem attritionis. quidni ergo poterit fortiori rationem contritionis, si feratur in peccatum sub contritionis motu? cum ergo notitia peccati in particulari non requiratur, vt perfecta contritio eliciatur, sequitur nec ad eandem examen villo modo esse necessarium.

50. Non requiritur etiam vt contritio sit utilis ad iustificationem, 1. quia neque ex rei naturâ requiritur, neque etiam ex scripturâ, vel aliquo Concilio apparet id requiri. 2. quia vera contritio est sufficiens dispositio ad iustificationem, cum ergo illa possit inueniri absque præiudicio examine, poterit absque illo iuuare ad gratiam iustificationis, & remissionem peccatorum obtinendam.

Confit. contritio censetur sufficiens dispositio ad iustificationem, quia hominem perfectè auertit à peccato, atqui potest perfectè auertere etiam si nullum peccatum in particulari menti obijciatur, igitur sufficenter potest disponere ad iustificationem

absque particulari notitia peccati, atque adeo absque examine, quod solum ad huiusmodi notitiam comparandam videri posset necessarium.

Aduerte hæc dicta esse si rei naturâ spectemus. Ceterum in praxi vtilissimum est peccata in memoriam reuocare ad perfectiorem contritionem eliciendâ, & ad id nos hortantur Patres, satis enim & ratione, & experientiâ constat nos magis moueri consideratis, & repræsentatis in particulari peccatis, eorumq; multitudine, quâ Deum toties offendimus, quàm illis solum in confuso menti oblati; imò dolor de peccatis in genere conceptus sæpè fortè nō est efficax, quod ex eo potest colligi, quod quando homo descendit ad particularia, interdum nullo modo possit abduci ab aliquo peccato, cui addictus est.

Dices, S. Th. q. sequenti art. 1. in corpore assignas discrimen inter pœnitentiam, quæ requiritur ad remissionem peccati mortalis, & eam, quæ exigitur ad remissionem venialis, ait; exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, vt scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est, vt scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, vt singula detestetur, sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum.

Resp. S. Th. nolle id omnimodâ necessitate requiri, quasi aliter nequeat haberi contritio de peccatis mortalibus, sed solum videri velle, quod in noua lege homo baptizatus etiam habitâ contritione, de peccatis mortalibus teneatur diligentiam adhibere ad ea suo tempore rememoranda, scilicet in ordine ad confessionem sacramentalem: non verò obligetur venialia examinare, & rememorari, quia non tenetur ea subijcere clauibus Ecclesiæ. Alij paulò aliter explicant. vide Caiet. & Suarem in commentario articuli.

Ex dictis colligo veram contritionem venialium implicite continere cōtritionem mortalium, quæ menti non occurrunt, esseque sufficientem dispositionem vt peccator eorum remissionem consequatur. vnde si quis furtum mortale commiserit, & venialiter peccauerit leuiter iurando; oblitus autem furti solum doleat de temerario iuramento propter Deum summè dilectum, detestans id, quod etiam saluâ amicitia repugnat aliquo modo eius bonitati, consequetur remissionem furti, quia qui sub illa ratione dolet de veniali, quod non tollit diuinam amicitiam, conuincitur multò magis dolere de eo, quod diuinam amicitiam dissoluit. non tamen è contrario quicumque dolet de mortali ex motiuo contritionis censetur dolere de veniali quod saluâ amicitia sæpè inuenitur in iustis.

DVBIUM II.

Utrum contritio sit dolor de peccato appetitiuè summus, per quem doleamus de peccato, illudque detestemur super omne malum?

NOTANDUM nos aliquem amare summè appetitiuè, cum nostrâ æstimatione illum maximi facimus, & iuxta illam æstimationem ferimur in eum actu amoris, ita vt si necesse esset parati simus quilibet præ illo negligere: quâ ratione Deum debemus diligere summè appetitiuè: quia debemus eum ita amare, vt præ illo

Ccc 3

debea-

51.

Vtilissimum tamen est peccata in memoriam reuocare ad perfectiorem contritionem.

52.

Obiectio ex D. Th.

Resp.

53.

Corollar.

Qui dolet de veniali ob Deum summè dilectum, conuincitur dolere de mortali.

54.

Amor appetitiuè summus quis sit.

debeamus quilibet negligere. proportionem de odio alicuius est discurrendum, quod scilicet id summè odio habendum sit, & detestandum, quod tale est, vt præ alijs sit odibile. hoc prænotato

55.
Conclus.
Contritio
est dolor
appretiatu-
us summus.
Prob. 1.

Resp. & dico contritionem esse dolorem de peccato appetitatu summum, seu hominem per contritionem ferri in peccatum de illo summè appetitatu dolendo, seu super omne malum.

Probatur 1. peccatum naturā suā est summè detestabile, cū magis repugnet summo bono, quā quidquam aliud, etsi sit mortale, Deum summum bonum affectu euertat; cū ergo contritio feratur motu fugæ in peccatum proportionatè eius conditioni, debet esse dolor de peccato appetitatu summus, seu per quem doleamus de peccato tanquam summo malo, illudque super omne malum detestemur.

Confir. peccatum peius est & secundum rectam rationem magis fugiendum, quā quodlibet malum pœnæ, vel quodlibet nocuum, cū malum pœnæ vt solū dicit afflictionem creaturæ, nihil contineat contra rectam rationem, & neque Deo repugnet. vnde etiam pœna inferni, sistendo in ratione afflictionis minis malum est, & minis detestandum, quā sit peccatum etiam veniale: vnde præclare dicit Anselmus lib. de similitudinibus cap. 190. *si hinc peccati pudorem & illinc cererem inferni horrorem, & necessarii vni illorum haberem immergi, potius me in infernum immergerem, quā peccatū in me immergerem.* mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quā peccati forde pollutus eorum regna tenere.

Prob. 2.

Probatur 2. homo per contritionem ita debet auerti à peccato sicut per amorem reconciliariū conuertitur ad Deum, atque amor Dei reconciliatiū est appetitatu summus, ergo contritio est motus fugg respectu peccati appetitatu sumus.

Hæc appetitatio non requirit expressam comparationem inter mala pœnæ, & culpæ.

Notandū verò 1. hanc summam appetitionē nō requirere expressam comparationem inter mala pœnæ, & culpæ, neque similiter requirere huiusmodi expressam comparationem inter culpam, & alia mala, v. g. amissionem honoris, sed sufficere, quod voluntas ex parte motiui ita firmiter detestetur peccatū, & de eo doleat, vt virtute contineat potius acceptationē cuiuslibet alterius mali, quā mali culpæ, quia scilicet affectus est talis, vt quantum est ex se, oblati malis pœnæ, & c. voluntatem inclinaret ad illa præligenda, quatenus sunt medium ad fugiendum peccatum.

Dico, quantum est ex se, licet enim voluntas propositis ex vnā parte grauissimis pœnis, verbi gratia, morte crudelissima tolerandā, vel amissione honoris, & omnium fortunatum, & ex alterā parte proposito peccato, interdum præligat peccatum, id non semper arguit precedentem affectum non fuisse talem, qualem descripsimus, sed eum mutatum esse, seu voluntatem mutatam metu malorum sensibilium, quæ hominem in hac mortali vitā possunt valde afficere. vbi

56.

Notandum 2. si occurrente comparatione inter peccatum ex vnā parte, & inter alia mala ex alterā homo fluctuet, eum non esse absoluendum, cū in tali circumstantia non possit dici habere firmum propositum vitandi peccatum. considerandum tamen est, quod ex superiori dubio potest colligi, aliud esse timere, ne oblatā grauissimā occasione homo non esset futurus tam constans, vt neglectis etiam ingentibus tormentis peccatum repudiaret: aliud vero fluctuare: quia prius ex suā ratione non necessario relinquit voluntatem ancipitem, sed optimè

potest consistere, cum præsentī firmā voluntate, quā homo, quantum in se est, firmiter proponat peccatum vitare, & potius velle subire ingentia tormenta, quā illud admittere; quia cum tali voluntate potest consistere formido de opposito propter naturā imbecillitatem, & interdum propter inueteratas passionem, & similia: at quando voluntas fluctuat, in neutram partem se resoluit.

Quia verò huiusmodi comparationes, & propositiones grauium malorum sæpe possunt reddere hominem perplexum & fluctuantem, omnino sunt dissuadendæ, & passim à Doctoribus dissuadentur. vnde non bene faceret cōfessarius, qui vt penitentem excitaret ad contritionem, vel vt sciret nū penitens veram haberet contritionem, huiusmodi comparationes proponeret.

Notandum 3. sicut peccatū cum alijs malis collatum, est super omne aliud malum detestabile, & detestandum, ita si vnum peccatum cum alio conferatur, maius peccatum esse appetitatu magis detestandum quā minis, vt communiter Doctores, & patet, quia maius peccatum magis repugnat diuinæ bonitati, estque maius malum. vnde quādo homo habens plura peccata verè de illis cōteritur, implicite magis dolet de maiori peccato, quā de minori, cū vera contritio feratur in peccata implicite secundum cuiusque conditionem.

Ex dictis sequitur, quod si pluribus peccatis per intellectum representatis & factis inter ea comparatione homo appetitatu magis doleat de minori, peccet, quia inordinatè procedit, imò peccet mortaliter si magis doleat de veniali quā de mortali, & ita sit comparatus, vt malis mortale committere, quā veniale, v. g. suscipere duellū quā leuiter se inebriare. Quia est grauis excessus, & grauis deformitas contra rectam rationem malle grauem Dei offensam, & quæ dissoluit eius amicitiam, quā culpam leuem, quæ hominem à Deo non auertit. Dixi, si magis doleat de veniali & c. scilicet ita vt ipso actu peccati magis doleat, non verò de infamia ex illo orta. pro quo

Aduertendum peccata non solū continere deformitatem coram Deo, sed aliqua apud homines generare infamiam, vt patet in ebrietate, homicidio, Simoniā & c. quæ infamia interdum maior generatur ex minori peccato quā ex maiori, vel absolute, vel in certā personā, vt constat experientia. Si ergo inter se componentur solū infamiae ex ipsis peccatis ortæ, & præligatur infamia, quæ oritur ex grauiori peccato, per se loquendo, non committeretur peccatum mortale: quia, per se loquendo, nō est grauis deordinatio præligere infamiam ex grauiori peccato resultantem, si affectus non feratur in ipsum peccatum. imò, vt ex dictis colligi potest, interdum nullum erit peccatum, vt v. g. si Episcopus præligat infamiam resultantem ex inimicitijs ei, quæ oritur ex ebrietate: quia in tali personā maior infamia oritur ex ebrietate, quā ex inimicitijs. practicè tamen diligenter ab his comparationibus est abstinendum quia practicè est difficile ita præscindere infamiam à culpā, ex qua oritur, vt hæc nullo modo sit volita sub conditione, præsertim in hominibus secularibus, in quibus dominantur passionem, & consuetudo peccandi.

Quod si quis absolute detestetur peccatū mortale, & de eo doleat, comparet tamen mortalia inter se, v. g. apud se dicat, si in alterutrum peccatum mihi esset incidendū, mallem esse homicidā, quā fur, difficilius est nū hæc ordinis inuerti sit mortalis.

talit. Suar. disp. 3. sect. 10. n. 7. censet regulariter esse mortalem. Sotus verò dist. 17. q. 2. art. 4. in decursu quintae conclus. sentit tantum esse venialem, quod etiam quidam alij sentiunt.

Quamvis posterior sententia interdum vera possit videri, vt si rem moraliter considerando inter gravitatem vnius peccati mortalis & alterius non sit notabilis inaequalitas: si tamē vniuersaliter intelligatur, videtur minus probabilis, atque adeo prior sententia verior videtur additā particulā, quam apponit Suarez, nam licet primaria ratio peccati mortalis, rem Theologicè considerando, spectetur ex avertione à Deo: nihilominus inter mortalia magnus excessus deformitatis potest inueniri, cum rem moraliter considerando in huiusmodi avertione possit inueniri notabilis excessus inter peccata, nam prudenti iudicio parricidij censetur aequivalere innumeris furtis 30. aut 40. assu, similiter blasphemia censetur multis partibus superare deformitatē furti, & ita de pluribus alijs.

Quod diximus nos debere magis appetitiuè detestari grauius peccatum, & de eo magis appetitiuè dolere, intelligitur si nostrum grauius conferatur cum nostro minori: nam si nostrum leuius conferatur cum grauiori alieno, debemus de nostro leuiori etiam veniali appetitiuè magis dolere, quod ostenditur: ne quidem ad auertenda totius mundi peccata debemus vel vnum veniale mendacium committere, ergo signum est quod debeamus magis dolere de nostro minori peccato, quā de grauiori alieno. Ratio est quod charitas magis inclinet subiectū in proprium bonum ad salutem necessarium quā in alienum, scilicet priuatum: ergo etiam inclinat vt subiectum magis doleat de malo proprio, quod impedit salutis consecutionem, quā de alieno.

Nec obstat quod Deus appetitiuè magis odio habeat peccata grauius, quā vnum peccatum veniale: quia nihilominus vult, vt nostrum etiā veniale magis detestemur & de eo doleamus, & charitas vnumquodque subiectum inclinat primo ad bonum Dei, & ad complacendum de bonis illius internis, deinde ad bonum ipsiusmet subiecti, per quod subiectum Deo coniungitur, & placet, tum in bonum proximi, ergo eadem inclinat vnumquodque subiectum ad magis detestandum appetitiuè malū propriū, quod auerit illud ipsum subiectum à Deo, & salutem illius impedit, vel retardat, quā alienum. hinc magis inclinat vnumquodque subiectum ad procurandū bonū Dei extrinsecum quod per ipsummet subiectum debet provenire, quā ad illud quod per alios provenire debet, cuius ratio vltior est, quod charitas sit pondus subiecti in immensum Dei bonum, ergo prius inclinat vt propriū subiectum Deo coniungatur, quā alia.

D V B I V M IX.

Utrum ad rationem contritionis requiratur dolor intensiue summus?

ALIOVI in praesenti materiā non videntur intentionem distinguere ab appetitione, qui proinde debent docere ad rationem contritionis requiri, vt dolor sit summus intensiue: de quo videri potest Scotus in 3. dist. 27. q. vnica §. de primo dicto. Bannes 2. 2. q. 44. art. 5. in dubio, sed supponendum intentionem propriam distingui

ab appetitione, cum appetitatio consistat in eo quod voluntas feratur in obiectum iuxta conditionem motui sibi sic representati per intellectū, & secundum modum aestimationis intellectus: intentio verò spectetur ex parte potentiae, & conatus illius, unde fieri potest, vt vnus alteri praeferatur appetitiuè, v. g. princeps filio: quamvis aliquis suum filium intensius, & maiori conatu diligat.

Confir. constat lumen gloriae etiam minimum appetitiuè pluri fieri, quā fidem, quantumvis intensam, hoc supposito.

Certum est saluberrimum esse ad hoc niti, vt dolor de peccato, eiusque detestatio sint summè intensa: tum quia saltem hac ratione maior gratia obtinebitur: tum quia plus poenae debebitur. Sed controuersia est num hac summa intensio requiratur ad rationem contritionis, in qua

Prima sententia asserit ad veram contritionem requiri summam intensiōem actus, quam homo possit exhibere, tenet Adrian. in 4. q. 2. de penitentia, pro eadem sententiā citari possent varij antiqui, qui tamen nullo modo videntur eam tenere, nam antiqui Theologi agentes de intensiōe in materiā charitatis, videntur aequo loco locuti, & non videntur accepisse intensiōem eo modo, quo sumunt Philosophi, sed pro appetitione obiecti, quae possit vocari intensio obiectiua.

Secunda sententia requirit, vt homo intensius doleat de peccato, quā de quolibet alio malo, & quā diligat omne bonum creatum, pro quā varios citat Suarez disp. 4. sect. 4. num. 3.

Tertia sententia negat vllam definitam intensiōem requiri, quam tenent communiter moderni, & indicat Gabriel in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. concl. 5. post medium, tenet Medina cod. de penitentia tract. 1. q. 7. in fine, & clariùs cod. de satisfactione tract. 3. q. 4. §. primum tamen, Sotus dist. 17. q. 2. art. 4. concl. 2. Bannes supra, Nauarrus in summa cap. 1. numero 4. quae sententia est omnino verior, iuxta quam

Dico 1. vt aliquis actus participet rationem contritionis nulla certa intensio requiritur.

Probatur 1. ratio contritionis spectanda est ex natura, & conditione actus, cum sit spectanda ex ratione obiectiua, & modo tendendi in obiectum; ad hoc autem nulla certa, & definita intensio requiritur, cum species, & tendentia actus possit inueniri in quacumque eiusdem actus latitudine, ergo &c.

Confir. 1. visio beatifica, scientia, fides sunt tales actus ex suā ratione specificā, quaecumque deum participant intensiōem, ergo actus qui secundum suam entitatem tendit in peccatum illud detestando, & de eo dolendo tanquam summè repugnanti diuinæ bonitati, fortior naturā, & rationem contritionis, cum nulla disparitas videatur cum fundamento posse assignari.

Confir. 2. amor, quo Deus diligitur propter infinitam suam bonitatem, ratione cuius super omne creatum est amabilis, communi sententia est amor super omnia quantumcumque sit remissus, eique competunt omnia, quae amor super omnia solent tribui.

Probatur 2. si ad rationem contritionis requiratur summa intensio, vel requiratur summa iuxta latitudinem auxilij possibilis, vel vt actus sit tam intensus, quā postulat auxilium concessum, neutrum autem dici potest, quod probatur pro priori parte: quia inde sequeretur nullum actum quantumvis intensum posse dici contritionem,

Discretem
appetitionis
ab
intentione.

Vilitas
intentionis
contritionis.

Prima sententia
requirit intensiōem
summam.

Secunda sententia
intensiōem maiorem
quā de quouis
alio malo.

Tertia non
requirit vllam
intensiōem.

Hanc sequitur
Auctor.

Prob. 1.

Prob. 2.

Prob. a.

Prob. b.

Prob. c.

cum nullus adæquetur auxilio possibili: unde ulterius sequeretur esse homini impossibile veniam peccatorum per contritionem consequi, atque adeo derisorie in Scripturâ huiusmodi remissionem promitti verè pœnitenti. Denique neque ex rei natura, neque ex aliquo alio principio id potest vlla specie probabilitatis asseri. Probatur etiam pro 2. parte: primò nullus requirit, ut homo operetur adæquatè auxilio sibi concessio, ut alios virtutum actus exerceat, ergo id in præfenti sine fundamento requiritur. 2. si ad hoc, ut actus sortiatur rationem contritionis, requireretur ut homo eliceret actum summè intensum iuxta proportionem auxilij sibi concessi, sequeretur duos actus in entitate omnino æquales tendentes in peccatum sub eodè motivo, futuros diuersæ rationis eo solo titulo quòd vnus eliciatur secundum totam latitudinem auxilij præuenientis, alius verò non, quod absque fundamento dicitur: neque enim poterit assignari species alia, in qua posterior actus ponatur.

Probatur 3. certa, eaque summa intensio idèò videretur requiri, quòd contritio debeat esse summus dolor de peccato; atqui ob illam rationem non requiritur, cum actus quantumvis remissus quo homo doleat de peccato, quia summè repugnat diuinæ bonitati, & ab ea auertit, possit dici summus dolor, quia videlicet per modum fugæ tendit in peccatum propter supremam, & excellentissimam rationem: quemadmodum visio beatifica est suprema cognitio, & dignitate, & conditione essentiali superat omnem aliam notitiam quantumvis intensam, seu etiam ipsâ intensiorem.

Confir. per actum doloris à nobis descriptum, in quocumque sit gradu, homo auertitur à peccato ut summo malo, ergo ad hoc, ut dolor sit contritio, non requiritur certa intensio, eaque summa, cum ea requireretur, ut homo censeretur supremo modo auerti à peccato.

Ex dictis in hac tertiâ probatione facillè patet 1. ad hoc, ut actus sortiatur rationem contritionis, non requiri ut homo intensius doleat de peccato, quàm de quolibet alio malo &c. quia licet actus sit remissior quoad gradus intensionales; nihilominus dici debet secundum conditionem naturalem maior dolor & excellentior, quia fugit peccatum sub excellentissimâ ratione.

Patet 2. ad hoc, ut dolor de peccato à nobis descriptus operetur peccati remissionem, non requiri summam actus intensiorem: quia remissio peccati tribuitur cōtritioni non rationes certi gradus intensionalis, sed ratione suæ conditionis naturalis & essentialis. Confir. scriptura Ezechielis 18. & 33. & alijs locis non requirit huiusmodi intensiorem, ut homo per pœnitentiâ acquirat remissionem peccati, sed eam vim ipsi actui tribuit, cuius ratio & natura inueniri potest in quouis gradu etiâ remississimo. Imò ex dictis sequitur ad iustificationem non requiri, ut dolor sit maior alijs doloribus, sequitur etiam ad eum effectum non requiri certum intensiōis gradum. Confir. 1. ut attritio disponat ad iustificationem per Sacramentum acquirendam non requiritur certa intensio, ergo neque eadem requireretur, ut contritio ad iustificationem disponat extra Sacramentum acquirendam. Confir. 2. per contritionem in quolibet gradu possumus dici Deum in toto corde, & totâ tribulatione animæ querere: quia videlicet per eam dolemus saltem virtualiter de omni peccato, quod à Deo auertit, & quidem propter rationem excellentissimam, quæ nos mouet

ad peccatum præ omnibus alijs detestandum, & de eo dolendum, propter quod motiui contritio potest dici fortior qualibet alia detestatione & dolore: quia videlicet illud motiuum, quantum est ex se, voluntatem firmiter inclinât in huiusmodi detestationem, & dolorem: quamuis volitas propter suam libertatem, & inclinationem ad bona inferiora facillè ad illa se cōuertat, & præsertim accedente peccandi consuetudine, & prauis habitibus piâ illam dispositionem interdum facillè abijciat.

D V B I V M X.

Vtrum attritio fieri possit contritio?

ID fieri posse censet Scotus in 4. dist. 14. q. 2. §. 1. de secundo principali citatus supra dubio quarto, cum existimet eundem actum esse attritionem, & contritionem: attritionem quidem omni instanti antequam gratiâ informetur: contritionem verò, quando iam informatur gratiâ, quem modum loquendi quidam alij imitantur. vbi obiter

Notandū ex his patere Scotum nō velle omnem attritionem posse fieri contritionem, sed solum eam, quæ fertur in peccatum, eò quòd Deo summè bono repugnet, quem actum censet requirere certam temporis durationem, ut informetur gratiâ, & sortiatur rationem contritionis.

Sed omnino dicendum attritionem propriè loquendo nullo modo fieri contritionem.

Probari potest 1. ex Trid. sess. 14. cap. 4. ex quo satis constat hæc inter se distinguî, quamuis ergo homo attritus possit postmodum habere cōtritionem, ipsa tamen attritio non potest fieri contritio: quemadmodum opinio non potest fieri sciētia, vel actus spei non potest esse actus charitatis.

Probatur 2. contritio, & attritio motiuis formalibus differunt, ergo specie, & proinde attritio non potest fieri contritio. Confir. attritio non potest fieri contritio ex eo quòd actus sit intensior, neque ex eo quòd diutius duret, neque ex eo quòd gratia iustificans accedat, ut facillè patet ex dictis dubio 4. cit.

Nec refert quòd aliqui ita loquantur per Sacramentum homo interdum ex attrito fit contritus: nam, ut omittam quòd id sit satis improprie dictum, non volunt designare, quòd ipse motus attritionis fiat contritio, sed tantum, quòd peccator, qui per solam attritionem non poterat iustificari extra Sacramentum, accedente Sacramento recipiat gratiam sanctificantem, atque adeo dici possit saltem habitualiter contritus, quatenus per gratiam habitualem, & charitatem censeri potest perfecte habitualiter auersus à peccato.

D V B I V M XI.

De attritione, eiusq; differentiâ à perfectâ contritione.

QUAMVIS attritio extra Sacramentum nō iustificet, atque adeo de eâ non videretur hic tractandum: non incommode tamen præfens dubium præcedētib; potest adnecti ad doctrinæ completum, quia verò attritio non est vnica species, sed pro diuersitate motiuorum multiplex esse potest, non potest commode vnâ definitione positiuâ describi, sed solum per negationem motui contritionis describi, omisâ ergo displicentiâ inhonestâ, quæ nomen attritionis non meretur.

Attritio

Attritio potest hoc vel simili modo describi, quod sit dolor de peccato sub inferiori quodā motu, quā sit motuum contritionis seu per quē dolemus de peccato non tanquam summē repugnante diuinæ bonitati, sed sub quadam aliā ratione, quod frequenter fieri potest, eō quod peccatum non solum habeat, quod summē repugnet diuinæ bonitati, sed plures alias rationes obiectiuas, tum generales, tum vnumquodque particulares, propter quas honestē, & licetē possimus illud auerari, detestari, & de eo dolere.

Ex quo obiter patet quod, ut dixi, attritio possit esse multiplex specie pro diuersitate motuorum, quibus motu fugae possumus ferri in peccatum, ut facile patet discurrenti, nam ut omittā varias species attritionis naturalis, attritio supernaturalis potest esse multiplex; possumus enim dolere de peccato primō propter particularem eius deformitatem, seu quia particulā virtutē Christianā repugnat. 2. quia repugnat rationi illustrata fide, & legi Christianorum. 3. quia nos priuat gratiā, & aeternā beatitudinem. 4. propter metum poenarum inferni, imō & poenarū temporalis, quae censetur inchoare diuinum supplicium. 5. quia laedit ius Dei.

Ex quibus varia discrimina inter attritionem & contritionē possunt colligi, nam praeterquam quod contritio sit vna species, attritio verō ad varias virtutum species possit pertinere, item quod perfecta contritio semper habeat coniunctam remissionem peccatorum & gratiam sanctificantem: attritio verō extra casum martyrii nō habeat ante realem Sacramenti susceptionem, ut, inquam, haec omittā, contritio differt ab attritione, quod contritio semper saltem virtualiter se extendat ad omnia mortalia, attritio autem nō necessariō, ut patet in ea, quae fertur in peccatū propter suam peculiare deformitatem, quae non necessariō virtualiter includit dolorem cuiuslibet peccati mortalis, cum possit inueniri cum habituali complacentiā alterius peccati mortalis, in quo talis turpitudine specialis non inuenitur, differt etiam quod contritio semper inuoluat saltem virtualiter propositum non peccandi in futurum: attritio verō etiam honesta possit inueniri abque huiusmodi proposito, quamuis eo casu non possit censeri perfecta attritio, sed velleitas, & simplex animi displicentia.

Potest obijci 1. quod Tridentinum solum videatur agnoscere duas attritionis species, scilicet eam quae concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, & eam quae concipitur ex metu gehennae, & poenarum, ut patet ex cap. 4. sess. 14.

Resp. neg. assumptum: quia Concilium dicit, communiter concipitur, ex quā particulā satis patet Concilium agnoscere alias attritionis species quāuis homo frequentius ex motu attritionis, quas Concilium ponit, moueatur ad dolorem de peccato concipiendum, & ad accedendum ad poenitentiae Sacramentum, aliter soluit Suar. disp. 5. sect. 2. nu. 14. sed nostra solutio videtur textui conformior.

Potest obijci 2. quod detestatio peccati, & dolor de eodem propter metū gehennae non videantur honesta, quod probatur 1. quia videntur relinquere affectum erga peccatum. 2. quia per hac ita fugimus peccatū, ut magis fugiamus poenam, quod est inordinatum, cum sit inordinatum magis fugere minus malum, quā maius.

Resp. neg. assumptum: nam patet ex Trid. sess. 4. cap. 4. huiusmodi dolorem si voluntatem peccandi excludat, & sit cum spe veniā, donum Dei esse & spiritus sancti impulsū, & ad gratiā Dei

in Sacramento impetrandam disponere. 2. constat ex Patribus nos ex metu poenarum honestē auerari peccatū, & excitari ne Deum offendamus, v. g. ex hac vel simili cogitatione: horrendum est incidere in manus Dei, momentaneum quod delectat, aeternum quod cruciat &c. quod & confirmat Tridentinum, ex poenitentia Ninivitarum, qui timore poenarum vtiliter concussi ad praedicationē Ionae plenam terroribus, poenitentia egerunt. 3. secundum rationem appetimus nostram beatitudinem ex virtute spei, & ex eadem virtute fugimus poenas inferni, ergo possumus honestē dolere de eo, quod nos auertit ab illa beatitudine assequenda, & propter quod poenas meremur.

Ad priorem probationem assumpti resp. neg. assumptum: nam ex Tridentino cit. patet posse dari huiusmodi dolorem de peccato propter metū gehennae, qui excludat voluntatem peccandi, si enim dari non posset, frustra & minus prudenter Concilium in materiā grauissimā diceret, si voluntatem peccandi excludat, unde constat non omnem dolorem ex metu poenarum conceptum relinquere voluntatem affectam erga peccatū, pro quo

Notandum aliud esse moueri ad detestationem peccati, & ad dolendum de eo solum ex metu poenae, aliud verō solum poenam displicere: nam prius solum dicit voluntatem non excitari, hic, & nunc ab alio motu: ita tamen ut ipsum peccatū verē in se displiceat: posterius verō significat voluntatem ita auerti à poenā, ut peccatū secundum se placeat, quod est malum, & inhonestum, non verō prius.

Ad posteriorem probationem dico per attritionē, quā dolemus de peccato ex metu poenarum in rigore nos non magis dolere de poenā, sed poenam in tali actu solum esse rationem formalem obiectiuam, propter quam auersemur peccatū praescindendo ab ulteriori ratione, & motu, si quis tamē velit nos per talem dolorem magis fugere poenam, dico id nullam in actu inuoluerē inordinationem, sed solum dicere minorem perfectionem, quod videlicet motuū minus sublime habeat. Probatur: quod ad varia est vile, potest absque vllā inordinatione referri ad quodlibet illorū, dummodo tota eius ratio, & cōditio non spectetur ex illis inferioribus motuibus, & illa nō sint finis hominis respectu talis obiecti, sed solum ratio motiua actus, qui nō se extendit ad sublimius motuum. cum ergo peccatū mereatur poenam, homo potest ex ea consideratione motus illud detestari & de eo à se commisso dolere, & proinde non tenetur magis detestari culpam, quā poenam, & magis de culpa dolere, quā de poenā, sed ad honestatem actus sufficit, quod verē auertatur à culpa.

Dices, qui ita dolet, videtur virtute ita se habere; ideo doleo de culpā, quia poenam meretur, quam si non mereretur, ab eo non auerterer.

Resp. neg. assumptum: quia, ut dictum est, per veram attritionem ex metu poenae conceptam homo verē auertitur absolute, & simpliciter à culpa.

Dices peccatū est super omne aliud detestabile, poena non item, ergo inordinatio est poenam plus detestari, quā culpam.

Resp. neg. consequentiam: ex argumento enim solum sequitur quod si velimus peccatū detestari adaequatē eius cōditioni, debeamus illud detestari super omne detestabile, non verō quod debeamus nos ita gerere in quolibet actu: cum ergo possumus etiam auerari poenam, nihil prohibet, quo minus aliquo actu eam auersemur magis, quā peccatū, dummodo non iudicemus eam simpliciter esse secundum

Aliud est moueri ad dolendum de peccato solum ex metu poenae, aliud solum poenam displicere.

72.

Replica diluitur.

Replica altera.

cundum conditionem suam magis detestandam, atq; adeo malleus peccatum committere (si alterutrum esset amplectendum) ad pœnam æternam euitandam.

ARTICVLVS II.

Vtrum sine pœnitentiâ peccatum remitti possit?

Resp. neg.

73.

Conclus.
est de fide.
Trident.Luc. 13.
Act. 2. & 3.

NEGAT peccatum mortale sine pœnitentiâ posse remitti, quia Deus non remittit offensam mortalem absq; immutatione voluntatis, per quam voluntas conuertatur ad Deum cum detestatione, & dolore conuersionis præteritæ ad bonum cõmutabile, & cum emendationis proposito. Cõclusio intellecta de lege ordinaria est de fide, quæ potest colligi ex Conc. Trid. sess. 14. can. 4. de pœnitentiâ, & ex cap. 6. & 14. sess. 6. videri etiam potest idem Conciliũ c. 1. & 4. sess. 14. eadẽ veritas patet ex varijs Scripturæ locis, Luc. 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* Act. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum & c. in remissionem peccatorum vestrorum.* cap. 3. *pœnitentiam & conuertimini, ut deleantur peccata vestra.* estque rationi consentaneum: nam ratio naturalis dicitur, vt qui vult veniam ab altero consequi, & ei reconciliari, atque ad eius amicitiam admitti, doleat se illum offendisse, & emendationem in futurum proponat.

Vnde non solum in lege euangelicâ, sed in omni aliâ, pœnitentia fuit necessaria ad acquirendam peccatorum remissionem, vt patet ex Trid. sess. 14. c. 4. & potest confirmari ex eo quod remissio peccatorum in nouâ lege nõ sit reddita difficilior, sed potius facilior. esset autem difficilior, si Christus Dominus exegisset pœnitentiam peccatorum in nouâ lege, quæ in lege naturæ vel Mosaicâ non fuisset necessaria. adde quod cum in lege antiquâ non essent instituta Sacramenta, quibus homines ex opere operato consequerentur peccatorum remissionem, ad illam consequendam saltem extracursum martyrij perfecta pœnitentia fuerit necessaria modo infra explicando: in nouâ verò lege institutis Sacramentis, quæ gratiam ex opere operato conferunt, & operantur remissionem peccatorum, inferior sufficit ad remissionem peccatorum acquirendam per Sacramenta, vt ostendimus agentes de effectu baptismi & in sequentibus ostendimus agentes de Sacramento pœnitentiæ.

D V B I V M I.

Qua ratione pœnitentia sit necessaria peccatori ad obtinendam peccatorum remissionem?

74.

Sensus quæstionis.

Necessariũ
necesse re
medij, a
quid dica
tur.
Quid ne
cessariũ ne
cessitate
præcepti.

Conclus.

PETIMVS, num ea necessitas sit solius præcepti, an etiam medijs: pro quo Notandum id dici necessarium necessitate medijs, sine quo vel ex rei naturâ, vel ex alterius voluntate finis nequit obtineri, ita vt carentia illius etiâ inculcata obstat affectu finis: id verò necessarium solum necessitate præcepti, cuius voluntaria transgressio obstat quidem finis consecutioni, non tamen inculcata carentia. v. g. inculcata omisio sacri die præcepto homini non nocet ad finem suum assequendum. hoc prænotato

Dico secundum legem ordinariam pœnitentiâ

esse necessariam necessitate medijs ad obtinendam remissionem peccati mortalis, ita vt quantumcumque homo inculpatè eâ careat, nullo modo possit obtinere remissionem peccati.

Probat. 1. ex Trid. sess. 14. c. 4. docente contritionis motum quouis tempore fuisse ad impetrandam veniam peccatorum necessarium & sess. 6. cap. 6. & 14. recensente pœnitentiam dispositionem necessariam ad iustificationem.

Probat. 2. pleraque Scripturæ loca, quæ pœnitentiæ necessitatem declarant, videntur hanc necessitatem medijs iudicare, vt Luc. 13. cit. Ecclesiastici 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei & non in manus hominum.*

Probat. 3. ex Aug. epistola 48. in fine dicente: *nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno seu paruo peccato ad correctionem sine pœnitentiâ posse transire.* plures Patres vide apud Suarez disp. 9. sect. 1. om. 4.

Probat. 4. ratione D. Thom. in præsentis articulo, quæ non qualemcumque necessitatem pœnitentiæ ostendit ad obtinendam veniam peccatorum, sed etiam medijs.

Aduerte 1. pœnitentiam etiam esse necessariam necessitate præcepti, ita vt si quis omittat voluntariè agere pœnitentiâ, sit peccaturus. quia actus ad salutem necessarius existit in nostra potestate cadit sub præceptum, cum homo teneatur salutem suam procurare, & proinde adhibere actus, qui sit necessarij ad illam procurandam, qualis est pœnitentia in peccatore, vt ex his patet. quando autem hoc pœnitentiæ præceptum obliget infra dicitur. ex dicendis etiam colligitur num hæc necessitas tum medijs tum præcepti oriatur ex ipsâ rei naturâ, sepositâ omni Dei voluntate & ordinatione: an verò ex voluntate Dei positiuâ.

Aduerte 2. pœnitentiam vtilem ad iustificationem, & remissionem peccatorum obtinendam debere esse efficacem etiam quando iustificamur per Sacramenta, vt facile patet ex dictis circa articulum primum, estque cõforme naturæ reconciliationis: nullus enim meretur veniam, qui non elicit huiusmodi efficacem pœnitentiam, quam cum diuino auxilio potest adhibere. Confir. ex Isaia 1. *auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quis scire agere peruersè, discite benefacere & c. si fuerint peccata vestra, ut cocinũ, quasi ros: de albabunur & c. Ioëlis 2. conuertimini ad me in toto corde vestro: talis autẽ conuersio dicit actum efficacem. ex quo patet pœnitentiâ necessariam ad iustificationem requirere salutem virtuale propositum vitandĩ peccata in futurum, de quo in superioribus dictũ est. videri potest Florentinũ decreto de Sacramentis, de Sacramento pœnitentiæ, & Tridentinum sess. 14. cap. 4.*

His suppositis tanquam communiter receptis controuertitur qualis debeat esse pœnitentia necessaria ad obtinendam peccatorum remissionem: itaque

D V B I V M II.

Vtrum ad remissionem peccati necessaria sit explicita pœnitentia?

76.

ASSEKIT Canus relectione 3. de pœnitentiâ §. de charitate verò, & sequentibus, qui sentit aliquem posse diligere Deum super omnia, & nihilominus defectu contritionis permanere in peccato mortali, pro quâ sententiâ quoad necessitatẽ formalis pœnitentiæ ad obtinendam remissionem peccati mortalis